EOS

COMMENTARII SOCIETATIS PHILOLOGAE POLONORUM

EDITORES

R. GANSZYNIEC TH. SINKO TH. ZIELIŃSKI

VOLUMEN XXVII 1924.

EDITUM AUXILIO MIN. INSTR. PUBL.
LEOPOLI 1925.
PROSTAT LEOPOLI APUD BIBLIOPOLAS GUBRYNOWICZ ET FILIUM
LIPSIAE APUD BIBLIOPOLAM CAROLUM W. HIERSEMANN.

EOS

CZASOPISMO FILOLOGICZNE

ORGAN POLSKIEGO TOW. FILOLOGICZNEGO

WYDAWCY

R. GANSZYNIEC T. SINKO T. ZIELIŃSKI

ROCZNIK XXVII 1924.

WYDANE Z ZASIŁKIEM MIN. WYZN. REL. I OŚW. PUBL.
WE LWOWIE 1925.
GŁÓWNY SKŁAD WE LWOWIE W KSIĘGARNI GUBRYNOWICZA I SYNA
W LIPSKU W KSIĘGARNI KAROLA W. HIERSEMANNA.

Participes societatis Philologae Polonorum, qui stipem annuam 6 aureorum pendunt, commentarios q. i. „Eos“ gratuito accipiunt.

Stipes sodalium et pretia commentariorum colligit quaestor Societatis, prof. M. Golias, qui habitat Leopoli, ad plateam s. Sophiae n. 22.

Libri manuscripti, libri typis exarati, epistulae, omnia quaecumque editoribus committenda sunt, inscribantur secundum hunc nominum et domiciliorum indicem:

Prof. Dr R. Ganszyniec, Leopoli, ad plateam Andreae Potocki n. 20.

Prof. Dr Th. Sinko, Cracoviae, ad plateam Ducis Iosephi n. 13.

Prof. Dr Th. Zieliński, Varsoviae, in aedibus Universitatis.

Librorum ad philologiam classicam et ad litteras humaniores spectantium auctores et editores, quorum interest, ut suorum librorum censura in commentariis q. i. „Eos“ geratur, exemplaria censualia editoribus commentariorum ut mittant invitantur.

Członkowie Polskiego Towarzystwa Filologicznego, opłacający roczną wkładkę w kwocie 6 zł, otrzymują „Eos“ bezpłatnie.

Wkładki Członków i opłatę za rocznik przyjmuje skarbnik Towarzystwa Prof. Marjan Golias, Lwów, ul. św. Zofji l. 22.

Adresy redaktorów:

Prof. Dr Ryszard Ganszyniec, Lwów, Potockiego 20.
Prof. Dr Tadeusz Sinko, Kraków, ul. Ks. Józefa 13.
Prof. Dr Tadeusz Zieliński, Warszawa, Uniwersytet.

Pod temi adresami uprasza się nadsyłać rękopisy, książki i listy.

P. T. Autorów, Wydawców i Nakładców publikacyj z zakresu filologji klasycznej tudzież literatury humanistycznej, życzących sobie, aby publikacje ich były omawiane w „Eos“, uprasza się o nadsyłanie Redakcji egzemplarzy recenzyjnych.

EOS

COMMENTARII SOCIETATIS PHILOLOGAE POLONORUM

EDITORES

R. GANSZYNIEC TH. SINKO TH. ZIELIŃSKI

VOLUMEN XXVII 1924.

EDITUM AUXILIO MIN. INSTR. PUBL.
LEOPOLI 1925.
PROSTAT LEOPOLI APUD BIBLIOPOLAS GUBRYNOWICZ ET FILIUM
LIPSIAE APUD BIBLIOPOLAM CAROLUM W. HIERSEMANN.

EOS

CZASOPISMO FILOLOGICZNE

ORGAN POLSKIEGO TOW. FILOLOGICZNEGO

WYDAWCY

R. GANSZYNIEC T. SINKO T. ZIELIŃSKI

ROCZNIK XXVII 1924.

WYDANE Z ZASIŁKIEM MIN. WYZN. REL. I OŚW. PUBL.
WE LWOWIE 1925.
GŁÓWNY SKŁAD WE LWOWIE W KSIĘGARNI GUBRYNOWICZA I SYNA
W LIPSKU W KSIĘGARNI KAROLA W. HIERSEMANNA.

Spis współpracowników rocznika XXVII.

	Str.
Auerbach M. (Sambor)	12, 135, 174
Barbasz W. (Lwów)	29
Blatt J. (Drohobycz)	170
Ganszyniec R. (Lwów)	1, 12, 39, 57, 74, 88, 109
Handel (Lwów)	99
Jarecki K. (Lwów)	165
Pilch St. (Lwów)	28
Przeworski St. (Częstochowa)	89
Rapaport A. (Lwów)	18, 104
Schaechter R. (Stanisławów)	13
Seliga St. (Warszawa)	101
Śmiałek W. (Lwów)	41
Smolka Fr. (Lwów)	75
Turyn A. (Warszawa)	110
Wieniewski I. (Warszawa)	113
Zgodziński Cz. (Września)	97
Zieliński T. (Warszawa)	59, 173



Cz 2810/1924

Z DRUKARNI ANTONIEGO BLUJA W PRZEMYŚLU, SZEROKA 6.

1247 a 1975

Index rerum voluminis XXVII.

I. Philologia classica: Str.

Ganszyniec R., Aristoteles quid de tragoedia comoediaeque primordiis docuerit 1
Schaechter R., De finibus poeseos et pedestris locutionis Philodemi quae videntur esse opiniones . . 13
Rapaport A., Xenophontea 19
Barbasz W., In Aegritudinem Perdicae (Anth. L. 808 R.) animadversiones 29
Śmiałek W., De Ignatii ad Romanos epistola 41
Zieliński Th., De Sophoclis fabula ignota 59
Smolka Fr., De ratione personarum describendarum in papyrorum actis adhibita 75
Przeworski St., Les problèmes mycéniens et les textes hittites I 89
Seliga St., De Cicerone testium vexatore 101
Wieniewski I., La technique d'annoncer les événements futurs chez Homère 113
Auerbach M., Medii usus Diodori et Dionysi Hal. quatenus ab Attica lingua differat 135

Miscellanea:

Auerbach M., Ad Dionysi Halic. Ant. Rom. I 76, 4 12.
Ganszyniec R., Iesus Medicus 12. — In defixionum tabellas 39. Zanes. — Ἰησοῦς Ἀλεξίκακος 57. — In invidum 58. — Anthol. Lat. 406 R. — In Ps.-Theodori Additamenta 74. — De passere Catulliano 88. — Δεικὸν πένθος 109.
Handel J., Ἄναξ: Hebr. anaq 99.
Pilch St., De Zoilo Homeri obtrectatore — In Vergil. Ecl. IX 57. 28.
Rapaport A., Ad actionum genera observationes aliquot 134.
Turyn Al., Lyrica Graeca 110.
Zgodziński Cz. De forma ac vi vocis μοιρηγενής 97.

II. Censurae.

Bérard Léon, Pour la reforme classique de l'enseignement secondaire. (Jarecki K.) 165
Norden Eduard, Die Geburt des Kindes. Geschichte einer religiösen Idee (Blatt J. — Zieliński Th.). . . 168
Kroll Wilhelm, Die wissenschaftliche Syntax im lateinischen Unterricht (Auerbach M.). 174

Spis dzieł omówionych w dziale recenzji.

Str.

Bérard Léon, Pour la reforme classique de l'enseignement secondaire. (Jarecki K.) 165

Norden Eduard, Die Geburt des Kindes. Geschichte einer religiösen Idee (Blatt J. — Zieliński Th.). . . . 168

Kroll Wilhelm, Die wissenschaftliche Syntax im lateinisben Unterricht (Auerbach M.). 174

ARISTOTELES QUID DE TRAGOEDIAE COMOEDIAEQUE PRIMORDIIS DOCUERIT

examinavit

RICARDUS GANSZYNIEC.

I.

A ceteris qui artium origines tradiderunt eo in primis Aristoteles differt eoque nomine maxime nostram sibi gratiam devinxit, quod rudem illam tritamque originum describendarum viam ac rationem deseruerit, qua certum quendam hominem sive deum rei vel instituti auctorem designaverunt. Aristoteles enim deseruit mythologiam, amplexus est philosophiam: priscam atque conclamatam litem, utrum positione an natura instituta orta sint, diremit inque eo doctum acutumque virum se praebuit. Ut viam hanc antiquam tritamque desereret, gravissimas eum movisse rationes constat: eiusque principium, cui innitatur, verum esse nemo ambigit. Quae ratiocinandi via tanto fulgore hominum acies perstrinxit, ut posteri nihil nisi Aristotelem eiusque dogmata admirarentur et pro ipsis factis eius haberent rationes atque opiniones, principiaque eius pro necessaria quadam rerum gestarum serie. Quam antiquorum persuasionem cum recentiores deserere nollent, at rationes cui innitatur probare iam non possent, substruxerunt suas ipsorum opiniones, ut suo iure in Aristotelis dogmata iurare ipsis liceret: nimirum Aristotelem contenderunt antiquis usum esse commentariis sive actis publicis, quibus rerum series ita fere, ut Aristoteles eam exposuerit, enarrata esset. Scilicet nos quae non sint in actis, non esse in mundo edocti sumus: itaque tribuentes Aristoteli actorum notitiam labantem fidem restauramus securique Aristotelis opinionibus acquiescimus.

Iam his vera falsa immixta esse non opus est in singulis demonstrare. Etiamsi Aristoteles acta eaque optima habuisset, tamen prave iis uti potuit, nihiloque secius ea ipsa quae tradiderit, sedulo examinanda essent. Ita prorsus nobis procedendum est, ut historicis, qui cum memorabilibus aliisque virorum doctorum operibus utuntur, diligentissime res gestas quas auctor noverit ab eius opinionibus segregant: quo demum facto ipsam rerum gestarum seriem sine temerarum opinionum admixtione constituunt. Nescio cur rationem hanc atque viam, quae historicis placuit, in re litteraria describenda neglegamus, cum iisdem ceterum principiis quibus historici insistamus.

Summa dogmata non solum antiquorum, verum et recentium schematica esse constat talemque esse Aristotelis de poeseos origine breviter demonstrari potest. Paucissimis enim principiis in

[illegible] adductis Aristoteles poeseos generumque poeticorum originem docet. Quae principia sunt vel materialia vel formalia: quamquam sola formalia ad nostram faciunt quaestionem, priora leviter tangere licet. Optime enim Aristoteles distinguit tria, quae quantum materiam attinent maximi sunt momenti in discutienda poeseos origine: scil. numerus orationis (metrum), motus (saltatio), sonus (musica): verum quomodo haec tria mutuo se habeant A. minime definivit, immo ea pariter divisim primigenia habuit. Qua in re reapse demum saec. XVIII verum perspexit primusque Anglus Iohannes Brown a. 1764 edito libro „De poeseos origine ac progressu" docuit haec tria — quod apud populos incultos videre liceat — initio unitatem quae dissolvi nequeat efficere, ex qua nisi posterius singulae artes numerosae non excreverint. Brown tamen nullos habuit sectatores, cum ingeniosa eius opinio longe superavit illius aevi doctrinam: nostra denique aetate K. Bücher (Arbeit und Rhythmus, Lipsiae 1909) theoriam argumentaque renovavit. Quam theoriam si cum Aristotelica contuleris, multis numeris eam praestare animadvertes, cum quomodo principia mutuo conectantur luculenter doceat.

Sed haec sint obiter dicta: ad formalia enim elementa transeundum est. Quorum primum est imitatio (μίμησις), appetitus quidam et studium, quod nos ad res refingendas impellit. Attamen imitatio Aristotelica plurimum differt ab ea quam nos intellegimus imitationem: complexum enim conceptum Aristotelicum nunc iam distinximus in plures easque varias partes vel potius genera, ut sunt actus lusorii, reflexi, imitatio studiosa etc., ex quibus ad rerum humanarum originem definiendam praeter actus reflexos solos lusorios admittimus. Aristoteles ergo hac in re — si solam vocem respicias temporisque rationem habeas — verum definivit.

At imitatio, ut quaelibet vis innata homini, non est nisi indoles et latens, ut ita dicam, energia. Quomodo ergo haec manifestatur, quinam praeterea est effectus primus illius potentiae latentis mutatae in motoriam? Aristoteles breviter rem diremit ponens αὐτοσχεδιασμόν causam et effectum: qui conceptus item est complexus, cum totam conceptuum viriumque seriem incipiens ab actu instincto includensque enthusiasticam et extemporalem poeseos compositionem comprehendat. Verum cum scientia recentior solos actus instinctos qua primarios in originibus disputandis admittat, Aristoteles successoresque eius longe aliter senserunt, quia in universum aliam de rebus humanis foverunt opinionem. Sed et praeter hanc nobiscum discrepantiam Aristoteles aliam quoque erroris occasionem non evitabat: nimirum respexit exculta tantum definitaque poeseos genera, quorum quidem creatores erant poetae i. e. novit agnovitque sola genera secundaria, quae — ut fieri solet — eadem habuit cum primariis. Consequenter etiam aliter sensit de poematis condendis: quam rem ut explicaret homines ex tempore versus fundentes ansam ei praebuerunt, ut nomen ac rem systemati suo insereret: quod non erat ita absonum, cum et

nobis ante recitationem extemporalem praeter solas generis poetici regulas et artificia, ex parte vero recitantis hereditate acceptam dispositionem et operam studiosam alios gradus intermedios proprie dictos ponere non liceat. Iam patet ei qui aliter ac nos in poeseos originem inquirat idque solum definiturus quid poematis scriptis praecesserit, ultimam ostendisse rationem (scil. imitationem) unumque gradum intermedium (scil. extemporalem recitationem) indicasse plene sufficere.

Attamen neque imitatio neque autoschediasmus evolutionis seriem congruenter explicarent, nisi Aristoteles tertium induxisset conceptum qui non solum ipsius Poeticae, sed toti philosophiae propriam quandam notam imprimat: posuit enim principium teleologum, ex quo quaeque evolutionis theoria progreditur et in quo tota nititur. Quaevis enim progressio aliquem finem petit, qui finis una est effectus: quem si attigerit evolutio, perficitur ac finitur neque est quod amplius quaeras. Hic vero effectus est naturalis quaedam virium in ipsa evolutione operantium forma, quasi dicas vires quasdam spermaticas rei insitas plene tunc maturuisse. Miram sane hic affinitatem Aristotelem inter et idealismum Hegelianum conspicis, qui quae existunt pro necessaria rerum serie, necessaria autem pro evolutionis ordine naturali quadam lege praescripto explicabat: non absimilia docuit Aristoteles, cum singula quae novit poeseos genera finales quoque ac perfectas generum formas esse putabat, ultra quas alias nec quaerebat nec admittebat, intra quas mutationes in solis compositionis artificiis, verum non in forma accipiebat.

Quibus explicatis iam omnia novimus principia quibus Aristoteles in Poetica condenda usus est: quae si colliges, vides principia logica inversum fere ordinem seriei ontologae efficere, id quod in theoriis deductis accidere solet. Habes ergo hunc evolutionis ordinem:

μίμησις
αὐτοσχεδιασμός
(μεταβολαί)
τέλος.

Inter primam imitationis motionem activam, quam extemporalem recitationem esse scimus, et formam finalem patet late campus evolvendarum formarum, ut Aristoteles v. gr. dicit de tragoedia 1449ª 14: πολλὰς μεταβολὰς μεταβαλοῦσα ἡ τραγῳδία ἐπαύσατο, ἐπεὶ ἔσχε τὴν αὑτῆς φύσιν.

II.

Quod schema apud Aristotelem in omnibus poeseos generibus obtinet, tum in formis primariis cum secundariis i. e. eis quae ex aliis perfectis poeseos generibus prodeunt: diximus enim iam antea hanc gravem distinctionem ab Aristotele philologisque in commune neglegi. Mirum sane videtur, quod hanc evolutionis seriem quae pro primariis formis excogitata est, omnes et pro

secundariis accommodatam esse non dubitent aliisque deficientibus rationibus id quod reapse non est nisi schema philosophicum subito auctoritate, atque adeo nomine historici documenti donant. Clarissimum huius mirae inclinationis exemplum praebet Aristoteles in dramaticae poeseos origine exponenda, quam opinionem plurimi viva voce referunt, quamquam nostra de originibus doctrina iam dudum et clariora et veriora antiquitate docebat.

Auctore Aristotele tragoedia secundarium est genus litterarium i. e. ex alio genere perfecto emanabat. Quam affirmationem auctor minime probavit: nam id ipsum quod nominat genus, scil. dithyrambum, ex quo tragoedia prodierit, nemo sanus dicet argumentum. Quapropter Aristotelis de tragoediae originibus opinio — si historiae fidem spectes — minime nos obligat: eadem autem nobis fortasse probatur propter methodicas quasdam rationes i. e. cognitis causis quae auctorem ad hanc statuendam opinionem permoverunt. Quas rationes cum in manu sint perspectas habemus: prima enim est chorus eum tragoedia coniunctus, qui cantu musica vestitu cantantium hymnos memoriam revocabat: secunda est factum Aristoteli apprime notum in vetustioribus Aeschyli dramatis eo maiorem choro partem esse tributam, quo pauciores drama habuit personas, chorique cantica temporis lapsu eo minui magis quo personarum partes et dialogus augebantur — ita ut Aristotelis aetate chori partes solum decorativae essent. Quae rationes nequaquam sunt neglegendae: si quid vero ex iis concludere oportet, chorum in universum ex poesi chorica sive lyrica deducere licet: et cum antiquis temporibus alia poesis praeter historicam et religiosam non haberetur, religiosam poesin lyricam chori dramatici dedisse initium concedimus. At haec Aristoteli non sufficiebant: multa enim plura ex dictis colligens tragoediam ex dithyrambo prodisse affirmat, qua in re posteros habuit credulos assentatores. Quae res eo nomine gravioris est momenti, quia dithyrambus κατ' ἐξοχήν Bacchi honori est dicatus, eoque ipso intima tragoediae cum Liberi festis coniunctio asseritur. Quae assertio procul dubio inde manavit, quod Athenis tragoedia solis Bacchi festis agebatur; iam vides principium: *cum hoc, ergo propter hoc*, opinionem hanc provocasse.

Atqui ex hoc primo exemplo elucet Aristotelem nullis usum esse documentis in tragoediae originibus explicandis, sed sola ratione. Recitationis enim tempus minoris est momenti quam ut rei summam ex eo efficias: attamen si quis demonstraret dithyrambum omnium canticorum lyricorum plurima praebere elementa tragoediae fingendae necessaria, facilius Aristoteli acquiescere possemus. Quae cum neque probari neque discuti possint, missa haec facimus: cetera enim luce clarius ostendent Aristotelis opinionem in libitu potius quam in factis inniti. Dicit enim philosophus tragoediam e dithyrambo prodisse initiaque eius extemporales fuisse recitationes. Mireris sane sanctam philologorum simplicitatem qui ad unum fere omnes in haec philosophi verba iurant, attamen qui

fieri id potuerit tacent. Dithyrambus enim ut perfectum absolutumque genus litterarium iam dudum excesserat stadium recitationum extemporalium desieratque esse fluxum aliquid indefinitumque. Quomodo ergo recciderit aut transierit in recitationem extemporalem? Nonne vides quam leviter Aristoteles umbras opinionis lineasque circumscripserit? Nam — ut verum fateamur — ei sufficiebat in universum schematis pro primariis litterarum generibus excogitati similitudo idemque applicabat secundariis, ut sunt tragoedia et comoedia. Aristotelis enim opinionem exprimentes imitationis vim in dithyrambo agere, novarum autem litterarum desiderium in extemporali recitatione manifestatum esse tragoediamque hoc modo procreasse dicimus. Nonne vides in his autoschediasmi conceptum separatam quandam vim esse atque elementum, quod ibi appareat, ubi nec facta nec clari conceptus prima alicuius rei evolutae vestigia indicent? Quidquid ergo Aristoteles de extemporali tragoediae recitatione affirmat, neque ex historia neque ex inductione logica, sed ex ipsa philosophici de poeseos origine schematis translatione in tragoediam natum est.

Quam tragoediam primitivam minoris esse voluminis putemus, non excedentis poematum lyricorum ambitum. Attamen minus patet id quod auctor de festiva primitivi dramatis dictione affirmat, quam assertionem statim ipse explicat de dramate satyrico tragicum praecedente: id quod tanti est momenti ut silentio transire nobis non liceat. Primo concedamus oportet id quod vulgo autumant verba τὸ σατυρικόν ipsum drama satyricum, et non iocum in universum poesinque satyricam designare sine dubio verum attingere: quod non solum constans dicendi consuetudo demonstrat, verum et eadem qua verba leguntur coniunctione evincitur, cum dramati satyrico festiva dictio sit propria. Ex eo deducit philosophus tragoediam affirmans festivam dictionem sensim sine sensu in gravem transisse, quem progressum sive potius vim causamque efficientem mutationem (μεταβολήν) dicit: quae vox novum inducit conceptum, qui eadem plane ratione adhibetur ut vis quaedam separatim existens i. e. nobis insciis conceptui imputamus vim quandam naturalem efficiendi id quod designat, et propterea in condiciones illum actum producentes inquirere supersedemus: aptissime licet hic conferre philologorum terminos quos dicunt technicos euphonia, metathesis, assimilatio aliosque quibus ad explicandas verborum deformationes quilibet utitur discipulus plane rerum ignarus quae his vocibus designentur: namque hae voces minime ex ipsa rerum cognitione procedunt, sed ex confuso quodam intellectu factorum lacunas ac cognitionis supplente. Idem Aristoteli mutationem (μεταβολήν) causam statuenti accidit: aliquem enim nexum tragicum inter drama et satyr cum intercedere suspicans, quorum characteres toto caelo sunt diversi, ad hanc coniecturam probabilem reddendam vel potius probandam mutationem accidisse asserebat. Minime dubito Aristotelem si saec. XIX vixisset, ad idem demonstrandum aliorum secutum vestigia quandam

primitivi dramatis polaritatem docuisse, ex qua opposita processissent, ex una parte tragicum, ex altera satyricum drama: mutatio enim Aristotelica miram prae se fert ac sapit ruditatem.

Sed missam facio de vocibus disputationem: ipsam enim rem spectans haec fere ex philosophi verbis elicias: 1) satyricum inter drama et tragicum genitivum nexum suspicabatur, 2) qui in eo fuerit, ut drama tragicum ex satyrico prodierit. Quas assertiones eo magis ponderemus, quo neque Aristoteles nobis plus factorum noverit. Primo enim non difficile dictu, cur has statuerit assertiones: priorem enim tribus causis allatis probare potuit, quarum quaeque est gravissima: 1) in repraesentationibus drama satyricum a tragoedia minime separari potuit, 2) summa artificiorum compositionisque amborum similitudo, 3) satyricum drama aeque ac tragoedia ab antiquissimis temporibus chorum a republica constitutum accepit: quibus notis communibus ambo et opposita sunt comoediae et inter se intime coniuncta.

Hanc ergo Aristotelis opinionem probare oportet: altera vero est difficilior. Gravissimi momenti apud Aristotelem repraesentationis tempus evasisse iam ex eo elucet, quod ob sola Dionysia, ut demonstravimus, dithyrambum et non in universum religiosa cantica dramatis initia posuit. Consequenter ergo ipsi ea initio ponenda erat dramatis forma, in qua ille qui laeto hilarique festo maxime respondebat character Bacchicus nitidissime reluceret: quod principium si probamus, ne nos quidem ipsi aliud ac philosophus statuemus, scil. drama satyricum cum choro Bacchico effusisque ac festivis iocis certissime dedisse dramati initia. At non vides iterum principium: *cum hoc, ergo propter hoc* opinionem gravem creasse?

Sed ne putes nos perinde ac philosophum decreta ex tripode fundere, nonnulla afferemus quae dubium te reddant. Namque Aristotelis opinionem probanti non tragoedia, sed drama satyricum ex dithyrambo deducendum est, qui cum fuisset cantus gravis ac minime festivus, iam hic dictionem gravem dithyrambi in satyrici festivam mutatam esse concedatur: primam ergo hic habes mutationem, ex qua altera cuius Aristoteles meminit intercedente tragoedia prodierit. Aristoteles cum hac de re nulla verba fecerit nonnulli putarunt eum sibi ipsi contradicentem. Attamen philosophus fuit non philologus, potiusque theoriae umbram, quam partes accurate circumscriptas praebuit: satisque habuit duas rerum series quae sibi proximae erant coniungere: ita brevi ante tragoediam cum dithyrambo conexuit spatiumque inter ambo hians mutationibus suppositis explevit (πολλὰς μεταβολὰς μεταβαλοῦσα): eadem plane ratione nunc dithyrambo neglecto tragicum drama cum satyrico iungit characteris mutatione supposita ipsiusque lectoris curae committit, ut varias de singulis opiniones in ordinem concinnum redigat, quod ceterum, si libere mutationes supponere licebat, non ita difficile factu erat. Verum cum res sita est non

in qualibuscunque opinionibus proferendis, sed in ipsis rebus explicandis, eae sunt rationes inducendae quae rei explicandae sufficiunt, i. e. si cui eligendum est inter evolutionis seriem Aristotelicam (dithyrambus — mutatio — drama satyricum — mutatio — tragoedia) et alteram (canticum religiosum — tragoedia), posteriori assentiendum est.

Antea iam eam attulimus rationem quae ut idea quaedam collectiva gravissime influit in omnes de tragoediae primordiis disputationes: scil. Dionysia inter et tragoediam existere coniunctionem intimam ac genitivam. Nulla hac de re facit verba Aristoteles, cum sibi omnibusque ut videtur antiquis hoc factum probatione minime egere visum sit: tamen aliquam affert rationem qua ex re id quod omnes sentiunt demonstret. Bene enim observabat philosophus priscam tragoediam praeter iambum uti et tetrametro: qui cum postea plane evanuisset, non male Aristoteles aliquam evolutionis seriem conicit, in cuius initio tetrametrum, iambum vero in fine ponit: quae argumentandi ratio nobis quoque probatur, nec quidquam philosopho obiceremus, nisi rem cum quadam metrorum aestimatione, quam minime in rebus, sed in solo iudicio positam esse patet, pro arbitrio suo coniunxisset. Dicit enim 1449ª 21: τό τε μέτρον ἐκ τετραμέτρου ἰαμβεῖον ἐγένετο· τὸ μὲν γὰρ πρῶτον τετραμέτρῳ ἐχρῶντο διὰ τὸ σατυρικὴν καὶ ὀρχηστικωτέραν εἶναι τὴν ποίησιν, λέξεως δὲ γενομένης αὐτὴ ἡ φύσις τὸ οἰκεῖον μέτρον εὗρε, μάλιστα γὰρ λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖόν ἐστι. Quod ut intellegas, Aristotelem sui aevi usum respicere scias: eo enim tempore poetae rarissime tetrametro usi sunt, quam ob rem proprium quendam in tetrametro fuisse colorem credere par est. Econtra iambus usitatissimum illius temporis erat metrum, quo trivialius nil erat: neque mirum si comparans ambo neglectis rationibus historicis id quod minime licebat posuit aestheticas. Ita philosophus asserit iambum esse naturale dicendi metrum: quod natura (φύσει) sit, minus est verum, nam sine dubio primitus iambus, ut quodvis metrum lyricum, canticis inserviebat: ergo non natura, sed positione factus est dictioni accommodatus. Similem errorem Aristoteles et alibi committit: v. gr. hexametrum — qui quidem aliquando cantui inserviebat — non novit nisi versum recitatum; quae sane Aristotelis iudicia cavere nos iubent.

Ceterum ei concedimus id quod magis sensit quam expressit, nimirum uni cuique metro certos correspondere animos; verum id non natura, sed positione effectum esse nullum est dubium, scil. propterea quod primarium genus litterarium proprium habebat metrum, ibique quodammodo reapse αὐτὴ ἡ φύσις τὸ οἰκεῖον μέτρον εὗρε: attamen in generibus secundariis, quale est drama, idem nunquam accidit, cum haec genera artificiis metrisque tritis utantur. Quam ob rem nemo nisi incautus Aristotelis de versibus opinionibus facile assentiet: ipsius enim assertiones, cum sensu quodam historico sint vacui, non sunt nisi facete dicta, quae aliquando verum attingunt, saepius vero falsum affirmant. Propterea

eius iudicium de tetrametri natura latum tum demum nobis probabitur, si rationes accedant historicae i. e. si tetrametrum dramatis satyrici ut primarii generis litterarii proprium fuisse demonstrabitur. Iam ex his efficitur coniecturam hoc metrum dramatis satyrici esse proprium, nihil nos iuvare. Nam dudum ante dramatis initia apud Archilochum tetrametrum reperimus, eumque in poesi religiosa, quae intime cohaeret cum dithyrambo, teste fgm. 53:

ὡς Διωνύσοι' ἄνακτος καλὸν ἐξάρξαι μέλος
οἶδα διθύραμβον οἴνῳ συγκεραυνωθεὶς φρένας.

Fortasse concludamus oportet Aristotelem tetrametrum non novisse nisi ex prisco dramate, in primis satyrico et comico, et in suo de forma iudicio nimis concessisse contento cui forma inhaereret; certe nulla exstat ratio probans tetrametrum magis dramati satyrico quam tragico proprium fuisse, cum reperiatur in canticis dudum ante tragoediae primordia confectis.

Iam de omnibus disputavimus principiis quae auctore Aristotele aliquando tragoediam efficiebant: quibus breviter complexis haec fere effecta invenies:

1) Aristotelem de dramatis origine nullam habuisse notitiam exactam: quod ipsa attineat documenta, ea quidem quantitate (cum priscis ipsi uti licuisset dramatis quae nunc desiderentur), at non qualitate ea quae noverimus superasse.

2) Opinionem ipsius de tragoediae primordiis non esse nisi singularem de poeseos origine opinionis applicationem.

3) Ipsum ductum esse maximam partem principio: *cum hoc, ergo propter hoc;* cuius gravissimum exemplum, scil. tragoediae in ipsis Dionysiis repraesentatio, ei suggesserit nexum genitivum tragoediam inter et Bacchi cultum existere.

Ergo Aristotele plane neglecto in tragoediae primordia inquirere nobis licet.

III.

Similiter res se habet cum comoedia, quam non sine consilio philosophus tam arcte cum tragoedia coniunxit. Iam a limine suspicari licet eundem illic ratiocinandi modum inveniri, quam ob rem brevius haec tractare licet. Ipsa quoque comoedia auctore philosopho secundarium est genus, ut tragoedia, quod ex phallicis prodierit. Verum quae et qualia fuerint illa phallica non sine causa ambigunt varieque explicant: Ueberweg v. gr. vertit: „phallische (auf den Geschlechtsverkehr bezügliche) Lieder"; A. Mommsen (Heortologie, 328) „phallisches Scherzlied, das demselben Gotte (Dionysos) gewidmet war"; alii alia quae hic referre longum esset neque quidquam novi aut certi docerent. Nemo enim sanus ambiget id de phallophororum canticis dictum et explicandum esse. Attamen ceteris Graeciae ritibus phallophoriae obscuriores sunt: quarum cum nemo quod sciam ad hoc tem-

pus explicationem proposuerit, interim haec mea probetur opinio quam alibi veri simillimam esse demonstrabo. Phallophoriam enim constat ritualem Baccho dicatam esse panegyrin, ex eo nominatam quia ibi circumferebant phallum vel potius phallos i. e. ligneas figuras quae penis formam referebant. Ipsae quoque civitates Graecae aliquot cubitos longum in ipso panegyrios fronte ferri curabant, qui certis annis, fortasse pro una quaque panegyri, renovabatur. Verum quidnam est hic phallus? Reverane membrum masculinum repraesentat? Certe religionem Graecam et primitivam et conservatricem priscorum rituum scimus, ut et rudia illi libenter concedamus: quominus etiam obscoena a civitatibus iuberi credamus, id me impedit, quod alia huius figurae possit afferri explicatio. Si enim antiquas Bacchi in vasculis pictas imagines spectas (v. gr. tres collegit E. Samter, Die Religion der Griechen, imagines 8—10) vides — at potius ipsum audias auctorem eas p. 5 explicantem qui aliam atque ego sequitur doctrinam, ne me tibi aliquid suggessurum putes: „Auch bei den attischen Bauern hatte einst ein Holzpfahl den Dionysos repraesentiert, und hier koennen wir deutlich verfolgen, wie aus dem Pfahl allmaehlich ein menschlich gestaltetes Goetterbild geworden ist. Attische Vasenbilder geben uns darueber Auskunft. Der Pfahl endet hier zunaechst oben in einem Knauf, unterhalb dessen Zweige befestigt sind: der Schaft ist teilweise mit Gewaendern bedeckt, unter den Zweigen ist eine baertige Maske angebracht". In ipso ergo stipite ligneo nisi rude caput nihil est indicatum: oculi, nasus, os picta sunt vel seorsum addita, ceterum vestimentis adiectis hominis figura efficitur: quas statuas si vestitu picturaque nudaveris, a maledicentissima Graecorum lingua non infacete phallos nominatos animadvertes iamque ipsam phallophoriam ab aliis deorum panegyribus, in quibus deorum statuae imaginesque circumferebantur, nihil differre patet. Confirmat hanc explicationem una quod sciam accurata phallophororum descriptio, quam Semus apud Ath. XIV 622 dedit, ubi canticum laudes tantum Bacchi enarrat, at nihil ritus fertilitati destinatos indicat. Ceterum Graecos eius temporis, immo fortasse iam Aristotelis aetate minus bene scivisse quid phallica fuerint ex eo patet, quod Athenaeo teste 621 f ita nominaverint actores vel potius recitatores, quos Lacedaemonii dixerunt δικηλιστάς· Σικυώνιοι μὲν γὰρ φαλλοφόρους αὐτοὺς καλοῦσιν, ἄλλοι δ' αὐτοκαβδάλους, οἱ δὲ φλύακες, ὡς Ἰταλοί, σοφιστὰς δὲ οἱ πολλοί. Quem nominum abusum ita explicandum puto, quod ipsi ritus prisci ut plurimi alii exeunte saec. V in desuetudinem abierint, postea vero exeunte saec. III renascente ac revirente antiquitatis studio, iterum in singulis civitatibus introducti spectaculi potius occasionem, quam cultus divini praebuerint: quocum apte quae his temporibus fiunt mysteriorum quae dicunt medii aevi Christique passionis repraesentationes conferas.

Vides ergo cur ea, quae Aristoteles dicat phallica, religiosa asseramus esse cantica, quae eo tantum nomine ab aliis differunt

hymnis quod in phallophororum panegyri Bacchi laudes celebrent: quae praeterea de iis dicunt et arguunt, hallucinationem potius quam doctrinam dicas. Nullum enim scio factum, quod antiquis temporibus ioci cum iis coniungebantur: ubique enim, ubi ritus habemus religiosos, extra cultum iocos factos esse scimus: post phallophoriam ergo iocatos esse Graecos credamus. Iam vides cur Aristoteles induxerit phallica ad comoediae origines explicandas: praeter enim dithyrambum phallicaque nullum novit hymnum soli Baccho dicatum: quam ob rem eum contendimus hic quoque innixum esse in ratione: *cum hoc, ergo propter hoc:* quia comoedia Lenaeis, Baccho consecratis, agebatur, intimam Lenaea inter et comoediae primordia coniunctionem subesse putavit, quamquam nulla ipsis Lenaeis — id quod omnino est animadvertendum — phallophoria Athenis habebatur: quam difficultatem Aristoteles remoturus aliarum civitatem invocat exemplum ut probet idem aliquando et Athenis fuisse. Ceterum comoediae historiam non dissimilem cum tragoediae statuit, nisi quod qui dramati satyrico correspondeat gradus intermedius desit.

IV.

Haec quae diximus, quamquam tota nostra, neque omnia nova neque extra litem posita sunt. Immo quaedam iam in manualia irrepserunt, ubi editor in latebris ea abscondit, ne quis cordatus ea facile expiscetur iisque fidem adhibeat. Ita enim legis dictum a Christ-Schmid, Griech, Litterat. I 259, 4: „Die Angaben des Aristoteles beruhen zum grössten Teil auf Konstruktion, besonders in zwei Punkten: 1. alle Poesie geht aus von αὐτοσχεδιάσματα einzelner, poet. 4 p. 1448 b 23 (daher die ἐξάρχοντες); 2. die Entwicklung der Kunstgattungen steht unter einem teleologischen Gesetz (poet. 4 p. 1449 a 14; vgl. Aristot. phys. II 8 p. 198 b)." Quae quamquam minora sunt, tamen vides plane conspirare nobiscum, qui plura affirmamus. Alia acerrimus Aristotelis propugnator Wilamowitz — vide quae scripsit Neue Jahrb. XXIX 1912, 467 sq. — nunc deserenda suadet: Aristotelis enim voces salvans earum intellectum immutat, cum dithyrambum — idque nostra quidem sententia verissime — carmina narratoria fuisse contendit indeque concludit (T. von Wilamowitz-Moellendorff, Die dramat. Technik des Sophokles, Berlin 1917, 314 n. 1): „Wenn die Tragödie aus diesem Dithyrambus entstanden ist, so scheidet für sie das dionysische Kultlied aus. Sie gehört ja auch zu den Dionysien des Elaphebolion, einer jungen attischen Gründung, die kaum älter als Thespis ist". Quibus cum dictis libentissime consentimus: attamen quae his subdit, vix Aristotelicis veriora sunt: ita enim dicit: „Tragische Dithyramben hatte Arion in Korinth gedichtet: Athen übernahm diese Gattung der chorischen Poesie, das weitere taten die attischen Dichter. In Korinth waren die Sänger τράγοι, σάτυροι: in Athen traten an ihre

Stelle die ionischen Silene; sie konnten es, weil sie trotz verschiedener Bildung wesensgleich waren. Inwieweit in Korinth vor Arion Tiertänze im Kultus herrschten und rituelle Bedeutung hatten, können wir nicht sagen, werden aber nicht bezweifeln, dass sie auf ekstatische Apotheriose zurückgehen": hisque plura subiungit quibus eadem usus ratione et comoed ae primordia explicet. Parum puto interesse, utrum ex extasi an ex autoschediasmatis tragoediam ortam contendas. Namque alterutrum tibi concedendum erit: aut primarium litterarum genus est tragoed a et ex extasi manavit, et tunc nescio quid hic sibi velit dithyrambus: aut e dithyrambo prodit tragoedia secundariumque est genus et tunc plane abundat extasis. Ceterum cum haec apotherioseon theoria excogitata sit ad solum tragoed ae nomen explicandum, fundamenta eius nimis sunt infirma: ipsum enim hircorum nomen de adolescentibus explicandum esse demonstravi in dissertatiuncula c. t. „Aphrodite Epitragia et les choeurs tragiques" (Bulletin de Corresp. Hellénique XLVII 1923, 431—449).

Nulla ergo Aristoteles habuit documenta de poeseos singulorumque eius generum origine, neque — ut Bywater aliique putarunt — monumenta historica, neque ipsa prima tentamina. Qua in re eadem nobiscum fortuna utebatur, neque mirum est illum in poeseos tragoediaeque primordiis inquirendis eandem fere viam inisse, qua et nos uti soleamus: scil. nos e monumentis servatis eas exquirimus notas, quae antiquitatis speciem prae se ferunt itaque pedetentim a noto ad ignotum procedimus, quae ratio nostrorum temporum indoli maxime accommodata biologam rerum naturalium methodum imitatur. Attamen praeter inductivam hanc rationem eam non plane respuimus synthesin, quae generalibus quidem innixa considerationibus, quas ex cogitatis affectibusque mire mixtas dicas, historiae facti institutive seriem nectit. Quae ratio nequaquam est arbitraria, ut primo obtutu videri possit, neque prava: quinimmo artes liberales ea carere nequeunt, cum hac demum via affluunt ideae quae rerum umbras quodammodo complent et animant. Atqui quo antiquius tempus investigamus, eo maiorem huius viae quam philosopham dicas ac rationis partem in scientia obtinere videmus, i. e. eo plus sensorum quo minus factorum suberit. Igitur hac in re nostrae opiniones minime ab Aristotelicis differunt: neque ipsi hic nostram statuimus doctrinam, sed solos Aristotelis errores atque ambages indicavimus, quod cum multo facilius est, tum ei facere licet, qui nullam propriam hac de re foveat opinionem. Nonne scopulos nosse vitareque errores magna iam scientiae pars tibi videtur?

AD DIONYSI HALICARNASENSIS ANT. ROM I 76, 4.

In Dionysi Halicarnasensis Ant. Rom. I 76, 4 codice A (Chisianus 58) verba ὁ δὲ Νεμέτωρ αἰσθόμενος οὐκ ἀπὸ τοῦ βελτίστου ταῦτα πράττοντα τὸν ἀδελφὸν ὀργὴν φανερὰν οὐκ ἐποιεῖτο, ἵνα μὴ τῷ δήμῳ ἀπέχθοιτο, ἀπόρρητον δὲ καὶ τοῦτο ἔγκλημα ἐφύλαττε, in codice B (Urbinas 105) ἀπόρρητον δὲ τοῦτο ἐφυλάττετο τὸ ἔγκλημα leguntur. Reiske τοῦτο ἔγκλημα ἐφύλαττε e codice A edidit. Cobet Observ. crit. et palaeogr. ad Dion. Hal. Ant. Rom. τοῦτο ἐφύλαττε τὸ ἔγκλημα correxit, quem editores recentiores (Kiessling et Iacoby) sunt secuti.

Codicis B lectionem τοῦτο ἐφυλάττετο τὸ ἔγκλημα servandam esse ex his elucet: 1. Dionysius et alio loco forma media verbi φυλάττω simili notione usus est: II 16, 3 ἐκείνου δ' ἄρξαντος τῶν πολιτευμάτων τούτων οἵ τε βασιλεῖς μετ' αὐτὸν ἡγησάμενοι τῆς πόλεως τὴν αὐτὴν ἐφυλάξαντο (codex A exhibet ἐφύλαξαν) προαίρεσιν. 2. Si Sophoclis Electr. 1012 καὶ τὰ μὲν λελεγμένα | ἄρρητ' ἐγώ σοι κἀτελῆ φυλάξομαι in mentem tibi revocaveris, fieri non poterit, quin affirmes Dionysium Sophoclis locum laudatum memoria tenuisse, cum haec verba scriberet. 3. Et alio non remoto ab eo loco, quo activum exspectamus (I 86, 1), Dionysius medium genus posuit: ταξάμενος δὲ αὐτοῖς ἡμέραν ἐκέλευσεν ἐξ ἑωθινοῦ καθέζεσθαι χωρὶς ἀλλήλων. 4. Dionysius Hal. in Attica lingua imitanda rarissime activum pro medio usurpat, quod mox alibi accuratius me explanaturum spero, saepissime vero medium pro activo ponit, ut ἀναρπάζομαι (III 5, 4), ἐγγράφομαι (V 61, 3), ἐγκελεύομαι (III 20, 3), ἐντρίβομαι (VII 45, 1), ἐπικελεύομαι (V 24, 2), χιὼν κατανίφεται (XII 8, 1), ναυλοχέομαι (I 44, 1), τημελέομαι (IV 67, 2). Similiter et in Novo Testamento medium verbi φυλάττειν usurpatum est, ut Marc. 10, 20 ταῦτα πάντα ἐφυλαξάμην.

Sambori. M. AUERBACH.

IESUS MEDICUS.

Iustinum Martyrem Iesu nomen ab ἰάομαι derivasse scimus (v. Eos XXV 96). Hanc nominis originationem neque ab ipso excogitatam neque ipsi esse propriam nunc confirmat inscriptio Syriaca nr. 251, quam Prentice (Greek and Latin Inscriptions of Syria, New York 1908) in vico Frikya Syriae repperit: Ἰατρὸς καὶ λύσις κακῶν, Ἰασοῦς ὁ Χριστός, ὁ ἐπὶ πάντων θεός. Similiter antiqui Iasonis nomen deduxerunt ab ἰάομαι nostrisque temporibus fuerunt qui Apollinem Iasonium eundem quem Apollinem Iatrum (de quo vide quae scripsi Archiv f. Geschichte der Medizin XV 1923, 33—42) esse contenderunt (A. Maury in Revue Archéologique 1849, I 151). *R. G.*

DE FINIBUS POESEOS ET PEDESTRIS LOCUTIONIS PHILODEMI QUAE VIDENTUR OPINIONES

scripsit

REGINA SCHÄCHTER

In Vol. Hercul. VII p. 81—123 ad poeticam spectantia nobis occurrunt fragmenta, in quibus Philodemi περὶ ποιημάτων librorum pars latere videtur. [1]) Quibus ex fragmentis tria reliquias scil. disputationis de eo, quid poesin inter et sermonem pedestrem intersit, continentia ita legenda puto:

VII 106 (frg. XXIX N. [2]) frg. 72 Hausr.):

(καίτοι λέξεων ὄντων)
1 ὁμογλώττω(ν τε καὶ πε-
ζῶν, καὶ αὐτὸς εἶν(αι ἐ-
κεῖνα ποήματα ἔ(φη καὶ
μὴ μόνα. καὶ γὰρ (τὰ τοῦ
5 Σώφρονος καὶ τὰ (πολλῶν
ἄλλων μιμογρ(άφων ἀ-
εί ποτε ποήμα(τ' ἐπιλέ-
γεται. καὶ μὴ(ν εἴπερ
οἱ συντιθέν(τες παίγνια
10 μίμων ποη(ταί νομίζον-
ται

1 (λέξεων) ὁμογλώττω(ν τε καὶ πε)ζῶν R
2 εἰ ν(ὴ Δι' ἐ- G[3]) εἶν(αι) H
3 ἔ(φη καὶ) H ε(ἶναι) G
4 (τὰ τοῦ) H G
5 (πολλῶν) H (τῶν) G
7 ποήμα(τα λέ)γεται G; εἴποτε ποή-
μα(τα ὀρθῶς λέ)γεται H (at spatia obstant)
8 ΚΑΙΜΗΑ charta καὶ μὴ (μόνον) G
9 (παίγνια) R
9—10 συντιθέν(τες τὰ τῶν) μίμων
ποή(ματα) G

VII 104 (frg. XXVII N. frg. 53 Hausr.):

(τὸ δὲ καλῶς με-
μιμῆμεῖνον εἶναι τὸ πο-)
1 ητικ)ὸν ἐνδέ(χο)ιτ' ἄ(ν τις
καὶ κατὰ τοῦτο δή πο(ητι-
κὸν τὰ το)ιαῦτα εἴρπε(ιν
καὶ) ποήματα εἶναι. καὶ
5 κατὰ) κρούματα γὰρ οὐ-
κ ἄ)ν φθάνοιεν οὕτω
ποήματα λέγοντες. ὁ-
πὲρ γὰρ τοῦ διὰ μηδὲν
ἕτερον ἤδη πόημα τὸ
10 τοῦ Σώφρονος (εἰ)ρηκέν-
(αι ἢ διὰ τὸ καλῶς μεμεῖ-
σθαι πολλὰ ἤδη γέγραπται.)

[1]) cf. Hausrath, Philodemi περὶ ποιημάτων libri secundi quae videntur fragmenta, in: Fleckeisens Jahrb. f. klass. Philologie, Suppl. XVII 1896, 211—276. — Ceterum emendatorum nomina compendiis adhibitis designabo, ut G=Gomperz, H=Hausrath, R=Radermacher.

[2]) Volumina Herculanensia, Collectio altera, Neapoli 1863.

[3]) Gomperzii coniecturas hausi ex adnotationibus eius adscriptis marginibus Voluminum Herculanensium, quae Gomperz moriens universitatis Vindobonensis bibliothecae esse voluit.

1—2 ἀνάλογ)ον ἐνδέ(χο)ιτ' ἄ(ν εἴ)ναι R
3—3 δήπο(υθεν τὰ το)ιαῦτα H
δήπο(υθεν οὐχὶ τα)ὐτὰ G

[illegible] —]ματα εἶναι R
4—5 κα-(τὰ τα) κρούματα H

VII 107 (frg. XXX N. frg. 73 Hausr.):

1 ὑπο(μνη-
μονευομένων (ἐκεί-
νων ἀφ' οὗ πο(ητὰς ἐπ-
ακρ(ίζο)ντας κ(ραυγά-
5 ζοντιν ὑπ(ο)λαμ(βάνω λέ-
γειν· ἢ παρ' ἀκο(ὴν λέγο-
μεν ἡμεῖς ἢ παρά(παν
ἐκεῖνος ἐμαίν(ετο πο-
ήματα φάσκων τὰ (Δη-
10 μοσθένους καὶ τἀντι-
φῶντος μᾶλλον (ἔτι ἢ
τὰ Ἡροδότου καί(περ εἰς
τὴν συνθήκην (καλῶς
γράφα(ν)τος.

1—2 (τῶν ἀ)πο(μνη)μονευομένων G
ὑπὸ τῶν μνημονευομένων H Equidem coniecturam meam col. XXVI VH² 187 nitor, ubi optime servatum est ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν ὑπομνημάτων
3 charta — ΝΩΝΑΦΟΥ; pro secunda littera N G ΓΡ conicit scil. vocem μιμογράφου hoc loco latere suspicans.
4 ΑΚΡΗΩΝΤΑ (C- charta; Ἀν)ακρ-(έο)ντος suspicatur G; attamen errore scribendi facile ΙΖΟ in ΙΗΩ mutari potuisse credo idque eo magis quod in VH² II 162 col. I v. 28 sine ulla dubitatione ἐπ' ἄκρον ἐλαύνοντα scil. ποιητὴν legimus.
4—5 κ(ραυγά)ζουσι H, κ(ατασκευά)ζουσι G
5 ΥΠΕΔΑΜ charta ὑπελάμ(βανε) H
6 παράκο(υσμα) contra spatia H itemque παρα(πλήξ) in v. 7
8 ἐμαίν(ετο πο-) H G
10 καὶ (Ἀντι)φῶντος G (τἀντι)φῶντος H
11 μᾶλλον (δὲ καὶ) H
13 (τούτου) H (καλῶς) R

Ordinem paginarum 104 et 106 ideo commutandum censeo quia mea quidem sententia disputatio in p. 104 v. 7 sq. servata conclusionem p. 106 datam respicit.

In VII 106 Philodemus adversarium impugnat, quod operibus quibusdam, quae ipse poemata dicere videtur, id nomen abroget. Cuius opinionem ut refutet, aliis operibus pro exemplis utitur, quae non minus poeticis notis carent, attamen ab adversario ipso (αὐτός in v. 2) poemata nominata sunt.

Ita fragmenti initium explico. Cetera clariora mihi videntur, si lacuna in v. 8 voce εἴπερ posita expletur; concedit fortasse adversarius non solum opera illa (v. 3 ἐκεῖνα), sed etiam Sophronis mimos poemata esse; si igitur nonnullos, qui solos mimos componunt, poetas nominamus, eo magis hoc nomine digni sunt, qui conscribunt opera illa, quae Philodemus hoc loco defendit. At quaenam possunt esse illa quae Philod. poemata dicere videtur? Non dubito ea 1° graviora esse mimis, eaque 2° ut mimos poeticis notis quibusdam, imprimis autem metris, carere. Eis operibus μίμησιν quidem inesse suspicari licet, quam ad poeseos naturam

pertinere antiqui, Platonis scil. et Aristotelis vestigia prementes omnibus temporibus persuasum sibi habebant. Verisimile autem mihi videtur in hoc quoque fragmento perinde atque in VII 107 historiae pulchre compositae laudem latere. Neque minus imitatio in historicis operibus animadverti potuit, cum non sit ignotum veteres in hoc quoque scribendi genere eam observasse. Exemplo sit Hermogenes (De ideis B 398) de Thucydide haec tradens: ἔτι ὡς ἱστορικὸς ὁ Θουκυδίδης κέχρηται μὲν καὶ μιμήσει. Qua in re non vereor, ne cum Gomperzii [1]) opinione dissentiam quippe qui frg. XXIX hoc modo explicat: „Es ist leicht zu erkennen, daß hier die aristotelische Theorie, vermöge welcher die in Prosa abgefassten Mimen zur Poesie gehören, gestreift und bekämpft wird". Quae opinio mihi propterea minime probanda videtur, quod in iis quae ipso fragmento exhibentur, certe nihil occurrit quod impediat, quominus Philodemum Sophronem poetam dixisse putemus. Immo quae in v. 2 sq. leguntur καὶ αὐτὸς εἶναι ἐκεῖνα ποήματα ἔφη demonstrant hoc loco sententiam a Philodemo comprobatam latere, ipsum autem adversarium eam veram esse concedere.

In VII 104 v. 1—6 explicari videtur opera quae v. 3 τὰ τοιαῦτα dicuntur, propter musica elementa (κρούματα) [2]) non tam facile poemata nuncupari posse. Unde sequitur non elementa musica opus quoddam poema efficere. Verum quae sit causa poematum pulchre efficiendorum sequens enuntiatum docet. Sophronis mimi (ἡδὺ πόημα hoc loco nominati) argumento adhibiti sunt idque tali ratione, ut facile conicias de mimis iam antea disputatum esse. Dolendum sane est quod qua mimi poema fiant rationem quaerentes ipsum fragmentum fallit. Verum cum haud ignoremus μίμησιν imprimis esse, ob quam Sophronis mimi ab antiquis et laudati et poemata dicti sint [3]) concludere licet διὰ μηδὲν ἕτερον ἡδὺ πόημα τὸ τοῦ Σώφρονος εἰρηνέναι ἢ διὰ τὸ καλῶς μεμεῖσθαι.

In VII 107 de oratoribus et historiographis poetarum nomine honoratis agitur. Quod Hausrath supplevit in v. 11 μᾶλλον δὲ καὶ falsum mihi videtur; itaque μᾶλλον ἔτι ἢ legendum propono, quod optime lacunam hoc loco explet. Qua lectione probata Philodemus adversario obicit, quod potius Demosthenis et Antiphontis orationes poemata dicat quam opus Herodoteum. Rhetorica enim arte florente ea quae poesin inter et pedestrem sermonem intercedit affinitas magis in lucem prodiit. Rhetores namque poeseos gravitate plerumque usos esse haud ignoramus. Neque mirum quod

---

[1]) Philodem und die ästhetischen Schriften der herculanischen Bibliothek, in Sitzungsber. d. Wiener Akad. d. Wissenschaften, Phil. — hist. Classe CXXIII 1891, 77.

[2]) Etiam in libris de musica Philodemus musicum cum contemptu quodam κρουματοποιόν appellat (Philodemi de musica librorum quae exstant, ed. J. Kemke, Lipsiae 1884, 95, col. XXVI v. 14).

[3]) Hauler, Zur Geschichte des griechischen Mimus, Gymn Progr. Wien 1893, 24. Kaibel, Comicorum Graec. frgg., Berol. 1899, I 152 sq.

maximi eorum, ut praecipue Demosthenes, poetarum nomine donati sint [1]). Facile tunc accidere potuit, ut nonnulli illa rhetorum colorata dicendi consuetudine permoti eos imprimis ut poetice scribentes laudarent historicis ipsoque Herodoto postpositis. Attamen si qui soluta oratione scribentes a veteribus poetae habebantur, Herodotus sine dubio primum inter eos tenebat locum [2]). Quod autem minime ad Philodemum ob adversarii opinionem tanta ira inflammandum sufficeret, nisi alia eaque gravis causa accederet. Ut Philodemus Peripateticos impugnans epopoeam tragoediae praeponit [3]), ita illum ὁμηρικώτατον [4]) scriptorem, Herodotum dico, oratorum δεινότητι praefert. Accedit notum illud Epicureorum in oratores odium, quod praecipue in Philodemi libris rhetoricis manifestatur [5]).

Philodemum igitur puto non impugnare opinionem quae opera pedestri sermone pulchre composita poemata vocet, sed solum a quodam adversario, qui potius Demosthenem quam Herodotum poetam esse voluerit, iratum reddi. Si autem Philodemus non aberrat a doctrina veterum, quae poesin, licet metris carentem sanciat, illa Gomperzii opinio Aristotelis de Sophrone sententiam in VH² VII 106 oppugnatam esse affirmans manifesto refutatur.

Nunc veterum opiniones ad quaestiones in hac disputatione examinatas pertinentes breviter perlustremus, quo magis perspicuum fiat, quanti momenti sit fragmentorum Philodemi reconstructio.

Antiquos constat poeseos naturam non in sola versuum pangendorum arte posuisse. Cuius opinionis primordia in Aristotelis Poetica (c. I et IX) inveniuntur. Magnus poeseos arbiter ante Ari-

---

[1]) Dionysius Hal. De comp. verb 21: Τίς οὐκ ἂν ὁμολογήσειε τοῖς κρείττοσιν ἐοικέναι ποιήμασί τε καὶ λόγοις τοὺς Δημοσθένους λόγους; — Etiam Cicero Orat. 66 eandem commemorat rem: „Et poetae quaestionem attulerunt, quidnam esset illud quo ipsi differrent ab oratoribus."

[2]) Dionysius Hal. De Thucyd. 23: Ἡρόδοτος ....κατὰ τὴν ἐκλογὴν τῶν ὀνομάτων καὶ κατὰ τὴν σύνθεσιν καὶ κατὰ τὴν τῶν σχηματισμῶν ποικιλίαν μακρῷ δέ τινι τοὺς ἄλλους ὑπερβάλλετο καὶ παρεσκεύασε τῇ κρατίστῃ ποιήσει ὁμοίαν γενέσθαι τὴν πεζὴν φράσιν. Hermogenes De ideis II 12: Ἡρόδοτος ...ταῖς εὐνοίαις μυθικαῖς σχεδὸν ἁπάσαις καὶ τῇ λέξει ποιητικῇ κ'χρηται διόλου. De synthesi quidem Herodotea, quam Philod. hoc loco praecipue audare videtur, v. Dionys Hal., De c. v 10 haec tradentem: ἡ δὲ Ἡροδότου σύνθεσις ἀμφότερα ταῦτα ἔχει· καὶ γὰρ ἡδεῖα ἐστὶ καὶ καλή. Aristotelem autem hanc virtutem Herodoteae locutioni abrogasse nemo ignorat; comperimus enim ex Poetica IX 1451 b opus Herodoteum non esse poema licet versibus componeretur.

Commemorandum puto Ps.-Longinum quoque, id quod animadvertatur oportet, poeseos et historiae affinitatem quandam non fugisse videri. Legimus enim De sublim. 30: ἐπεὶ τοῖς μικροῖς πραγματίοις περιτιθέναι μεγάλα καὶ σεμνὰ ὀνόματα ταὐτὸν ἂν φαίνοιτο, ὡς εἴ τις τραγικὸν προσωπεῖον μέγα παιδὶ περιθείη νηπίῳ· πλὴν ἐν μὲν ποιήσει καὶ i.. Littera i- in codice Parisino vetustissimo servata fortasse vocem ἱστορίᾳ significat, praesertim cum in capite sequente de Anacreonte, Theopompo Herodotoque sermo fiat.

[3]) Cf. Gomperz, Philodem und die aristotelische Poetik, in: Wiener Eranos, Wien 1909, 2 sq.

[4]) Ps.-Longinus, De sublimitate 13.

[5]) Philodemi volumina rhetorica ed. Sudhaus, Lipsiae 1892. 1896.

stotelem, Platonem dico, musica elementa [1]) plurimum in poematibus momenti habere putat (Gorg. 502 C, Rep. III 398 B, Phaedr. 258 D etc.) Quibus elementis si poema privatur, ἔοικε τοῖς τῶν ὡραίων προσώποις, καλῶν δὲ μή, οἷα γίγνεται ἰδεῖν, ὅταν αὐτὰ τὸ ἄνθος προλίπῃ (Rep. X 601 B). Ποιητικοί et φιλοποιηταί ἄνευ μέτρων in Rep. X 607 D manifesto distinguuntur.

Aristoteles demum cognovit vim poeseos metris non niti: οὐδὲν δὲ κοινόν ἐστιν Ὁμήρῳ καὶ Ἐμπεδοκλεῖ πλὴν τὸ μέτρον· διὸ τὸν μὲν ποιητὴν δίκαιον καλεῖν, τὸν δὲ φυσιολόγον μᾶλλον ἢ ποιητήν (Poet. I 1447 b); ὁ γὰρ ἱστορικὸς καὶ ὁ ποιητὴς οὐ τῷ ἢ ἔμμετρα λέγειν ἢ ἄμετρα διαφέρουσιν (Poet. IX 1451 b); τὸν ποιητὴν μᾶλλον τῶν μύθων εἶναι δεῖ ποιητὴν ἢ τῶν μέτρων, ὅσῳ ποιητὴς κατὰ τὴν μίμησίν ἐστι (Poet. IX 1451 b). In mythorum fictione, imprimis autem in recta atque uni cuique rei accommodata imitatione Aristoteles poeseos praestantiam cognoscit. Dictioni quidem pedestri elationem poeseos inesse non abrogat, quippe qui iudicat Platonis dictionem μεταξὺ ποιήματος εἶναι καὶ πεζοῦ λόγου, ut testatur Diogenes Laert. III 37. Post Aristotelem iterum atque iterum quaestiones de poesi et prosa distinguendis a plerisque scriptoribus disceptata esse multa testimonia adhuc servata docent [2]).

Sed quae fuit causa quae tot quaestiones movebat?

Vetustissima Graecorum poesis et ab ipsis poetis et ab eorum auditoribus divinum opus ducebatur. Divina inspiratione concitabatur poeta modos quidem a dis immortalibus discens [3]). Quin etiam argumentum poematis poetae a dis se accepisse crediderunt. Testimonio sunt poetarum invocationes, quibus dei, qui opus ducerent, adorabantur, et praecipue Hesiodeae Theogoniae prooemium, ubi poeta ipse ut praeterita futuraque pronuntiet, a Musis se inspiratum probe confirmat. Quibus in poematibus animi ardore creatis habebatur etiam quaedam rerum naturae aenigmatum explanatio, fabulosa quidem ac sobria a ratione abhorrens, cui vestis poetica aptissima erat. Cum autem fabulosas conceptiones poetarum, qui, ut cum Horatio dicam veris falsa remiscebant, clariores philosophorum sententiae expulissent, Xenophanes, Parmenides, Empedocles multique alii, etsi opiniones suas Homeri Hesiodique opinionibus graviter obiecerunt, attamen eorum formam poeticam servarunt natura verae poeseos nondum satis perspecta. Docti vero in veterum physicorum poematum naturam inquirentes ea poetica esse constanter negabant idemque iudicium quod Aristoteles (Poet. 1447 b) de Empedocle tulit, nimirum hunc physiologum poetam non esse, apud posteros quoque valet. Testi-

[1]) τὰ μουσικὰ χρώματα ut μέτρον, ῥυθμόν, ἁρμονίαν.

[2]) Dionysius Hal., De c. v. 20: τί ποτ' ἐστίν, ὃ ποιεῖ τὴν πεζὴν λέξιν ὁμοίαν ποιήμασι φαίνεσθαι, μένουσαν ἐν τῷ τοῦ λόγου σχήματι, τὴν δὲ ποιητικὴν φράσιν ἐμφερῆ τῷ πεζῷ λόγῳ φυλάττουσαν τὴν ποιητικὴν σεμνότητα; cuius rei principia paulo post τὰ παρὰ πολλοῖς ἀπορούμενα putat. Cf. praeterea Cicer. Or. 66 (p. 16 adn. 1).

[3]) Hom. ξ 347 θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἶμας παντοίας ἐνέφυσεν, η 488 ἢ σέ γε Μοῦσ' ἐδίδαξε ἢ σὲ γ' Ἀπόλλων· λίην γὰρ κατὰ κόσμον Ἀχαιῶν οἶτον ἀείδεις.

monium certissimum servatur apud Plutarchum, ubi non solum Empedocles, sed etiam Parmenides, Nicander, quin etiam Theognis gnomologus attinguntur [1]). Postea aliae accesserunt rationes, quae denuo poeticae dictionis et pedestris fines oblitterabant. Partim magnus rhetoricae artis atque artificiosae prosae progressus, partim comoedia quae dicitur nova metris quidem composita, attamen poeticae expers sublimitatis, labefactarunt [2]) opiniones metra praedicantes ipsa poeseos efficere principia. Rhythmus vero, quem a scriptoribus soluta oratione artificiose componentibus summa cum diligentia observatum esse haud ignoramus [3]), longius poeseos nota observabatur. Itaque Posidonius poema definiens haec tradit: ποίημά ἐστι λέξις ἔμμετρος ἢ εὐρυθμος μετὰ σκευῆς τὸ λογοειδὲς ἐκβεβηκυῖα (Diog. Laert. VII 60). Apud Philodemum quidem, si Gomperzii lectioni adstioulamur, servatum videtur: τὴν ἀρετὴν τοῦ ποιήματος ἐν εὐφωνίᾳ κεῖσθαι, τὴν γὰρ εὐφωνίαν οὐκ εἶναι τὸ μέτρον [4]).

Certos igitur fines inter poesin et pedestrem sermonem magis magisque ablatos esse patet. Quibus de finibus praecipue Ciceronis aetate disputatum esse ex Cicerone, Dionysio Hal., Philodemo scimus. Horatius quidem multa hac de re disceptata esse et commemorat et ipse in veram poematum naturam diligenter inquirit.

Attamen ne tum quidem, cum his de quaestionibus summo cum studio contendebant veteres litterarum arbitri, verae poeseos principia ex conspectu ammittebant. Cicero Or. 67 Platonis et Democriti locutionem poeticam putat, „quia incitatius feratur". Non multo post verus poeta quis sit optime definit Horatius (S. I 4, 42), quippe qui credit, „ingenium cui sit, cui mens divinior atque os magna sonaturum des nominis huius honorem". Artem quidem studiumque a Horatio poetis imperata esse nemo ignorat. Itaque subtilem poeseos censorem eum nominare licet. Sed haec poeseos cognitio, quam praecipue in Serm. I 4 atque in Epistula ad Pisones admiramur, sine dubio tam perfecta non fuisset, nisi multi ante Horatium auctores vim poeseos poematumque naturam diligentissime perscrutati essent. Ad Horatii ergo hac in re praenuntios accedit nunc Philodemus: quam ob rem operae sane pretium videtur iterum iterumque fragmentis Herculanensibus, quamvis mutilis ac laceris, studiosissimam impendere curam.

---

[1]) Plut., De aud. poet. 2 τὰ δ' Ἐμπεδοκλέους ἔπη καὶ τὰ Παρμενίδου καὶ θηριακὰ Νικάνδρου καὶ γνωμολογίαι Θεόγνιδος λόγοι εἰσὶ κεχρημένοι παρὰ ποιητικῆς ὥσπερ ὄχημα τὸ μέτρον καὶ τὸν ὄγκον, ἵνα τὸ πεζὸν διαφύγωσιν.

[2]) Cicero Or. 67 Video visum esse nonnullis Platonis et Democriti locutionem, etsi absit a versu, tamen . . . . potius poema putandum quam comicorum poetarum, apud quos, nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud cotidiani dissimile sermonis. Horat. Serm. I 4, 44 sq. Quidam comoedia necne poema esset | quaesivere, quod ... nisi quod pede certo | differt sermoni, sermo merus.

[3]) Cicero Or. 66 quo poetae ab oratoribus differant inquirens testatur: „Numero maxime videbantur antea *(scil.* poetae differre ab oratoribus) et versu, nunc apud oratores iam ipse numerus increbruit".

[4]) Gomperz l. l. (p. 15) p. 67.

XENOPHONTEA

scripsit
ARTHURUS RAPAPORT.

1. Quo tempore Xenophon priorem Historiae Graecae partem conscripsisse videtur.

In Platonis Apologia 32 B legimus: ἐγὼ... ἄλλην μὲν ἀρχὴν οὐδεμίαν... ἦρξα..., ἐβούλευσα δέ· καὶ ἔτυχεν ἡμῶν ἡ φυλὴ πρυτανεύουσα, ὅτε ὑμεῖς τοὺς δέκα στρατηγοὺς τοὺς οὐκ ἀνελομένους τοὺς ἐκ τῆς ναυμαχίας ἐβούλεσθε ἀθρόους κρίνειν, παρανόμως ...τότ' ἐγὼ μόνος τῶν πρυτάνεων ἠναντιώθην μηδὲν ποιεῖν παρὰ τοὺς νόμους. In hoc enuntiato offendit vocabulum δέκα, cum inter omnes constet octo tantum duces pugnae apud insulas Arginusas factae interfuisse (Xen. Hist. Graec. I 6, 29 sq.). Conon interea Mytilenae obsidione clausus tenebatur (Xen. Hist. Graec. I 6, 16 sq.), Archestratum autem quamvis inter duces electos Xenophon (Hist. Graec. I 5, 16) enumerasset, Mytilenae diem obisse supremum (Lys. XXI 8) commemorare omisit. Propterea inventus est unus Nitsche (cf. Sammlung ausgewählter Dialoge Platons mit deutschem Kommentar v. M. Schanz, III Bändchen Apologie. Leipzig 1893, annotationem ad hunc locum) qui δέκα delendum censeat, sed Schanz traditam lectionem servavit: et recte quidem. Defenditur enim optime Aristotelis loco Ἀθ. π. XXXIV 1: γενομένης τῆς ἐν Ἀργινούσσαις ναυμαχίας, πρῶτον μὲν τοὺς δέκα στρατηγοὺς τοὺς τῇ ναυμαχίᾳ νικῶντας συνέβη κριθῆναι μιᾷ χειροτονίᾳ πάντας, τοὺς μὲν οὐδὲ συννα[υ]μαχήσαντας, τοὺς δ' ἐπ' ἀλλοτρίας νεὼς σωθέντας... Hic de errore librarii nullo modo cogitare licet: Aristoteles cum temere a Platone numerum δέκα transcripsisset, statim difficultate quadam obstrictum se sensit, propterea quod numerus damnatorum maior aliquanto exstitit numero eorum, quos pugnae interfuisse constabat. Accuratius in rem inquirere neglexit, sed ratiocinando ad conclusionem venit: ergo capitis damnati sunt ii quoque, qui a proelio afuerant. Itaque cum e numero δέκα coniciat Aristoteles quicquam, numerus ab eo positus est, non a librario; et si hic numerus non solum per se necessarius non sit, sed etiam molestus et difficilis, ex Platone, auctore gravissimo, Aristotelem eum sumpsisse quis est qui neget, praesertim cum manifesto explicari possit usus numeri Platonicus, Aristoteles vero eodem modo quo Plato non excusetur (videas optimam eius rei explicationem apud Wilamowitz, Aristoteles und Athen I p. 127 et p. 128 annot. 9)?

Postquam verba Platonica integre asservata cognovimus, videamus quomodo Xenophon de eadem re agat. Atque in Memorabilibus I 1, 18 legimus: βουλεύσας γάρ ποτε καὶ τὸν βουλευτικὸν ὅρκον ὀμόσας, ἐν ᾧ ἦν κατὰ τοὺς νόμους βουλεύσειν, ἐπιστάτης ἐν τῷ δήμῳ γενόμενος, ἐπιθυμήσαντος τοῦ δήμου παρὰ τοὺς νόμους ἐννέα

στρατηγοὺς μιᾷ ψήφῳ τοὺς ἀμφὶ Θράσυλλον καὶ Ἐρασινίδην ἀποκτεῖναι πάντας, οὐκ ἠθέλησεν ἐπιψηφίσαι.... Duobus differt igitur Xenophon a Platone, primum quod Socratem ἐπιστάτην fuisse, non πρύτανιν dicit, deinde novem duces ab Atheniensibus in iudicium populi vocatos affirmat. Cur Xenophon hunc potissimum numerum posuit? Quamquam de illo ducum iudicio plura Platone scire videtur, cum nomina duorum praetorum, qui pugnae interfuerant, attulerit, tamen rem totam, quo modo acta sit, ignorare videtur. Cum enim Conon et Archestratus pugnae non interfuissent, hic utpote iam mortuus, ille obsidione in Lesbo insula a Lacedaemoniis clausus, octo praetores remanserunt, in quos iudicium populi exerceri potuit. Quoniam autem duo post proelium factum Athenas reverti non sunt ausi, sex tantum ante populum accusati et damnati sunt. Ipse Xenophon in Historia Graeca I 7, 2 dicit sex duces Athenas appulisse; e locutione (I 7, 1): οἱ δ' ἐν οἴκῳ τούτους μὲν τοὺς στρατηγοὺς ἔπαυσαν πλὴν Κόνωνος non possumus conicere auctorem nostrum intellexisse accusationem pertinere ad omnes *duces praeter Cononem et propterea rectissime dici posse*: „populus volebat omnes novem praetores uno suffragio capitis damnare", cum ridiculum sit studere, ut aliquis iam mortuus morte multetur, et Xenophon ipse suis verbis testetur iudicium pertinuisse ad octo duces, qui pugnae navali interfuissent, exactum autem esse in iis sex praetoribus, qui adessent (I 7, 34): μετὰ ταῦτα κατεψηφίσαντο τῶν ναυμαχησάντων στρατηγῶν ὄντων· ἀπέθανον δὲ οἱ παρόντες ἕξ. Statuendum igitur hunc numerum explicatione egere.

Neque prior differentia facilior est ad explicandum. Plato l. l. et Platonici (Busolti Platonis sententiam apud Platonicos asservatam docet laudato Ps.-Platonico Axiocho 368 — Griech. Gesch. III 2 p. 1605 ann. 6) Socratem non epistaten, sed prytanin tantum fuisse dicunt. Si quidem Xenophon recte eum epistaten dixit, non intellegimus, quomodo sit factum, ut praeside invito suffragia inirentur. Nam verisimile videtur contra praesidis voluntatem suffragia ferri non potuisse non solum apud Romanos, sed etiam apud Atheniense. Certe πρυτάνεις poterant prohibere, ne comitia populi de quadam re suffragia ferrent, id quod ex Aristotele conicere nobis licet. Cum enim post infelicem Sicilicam expeditionem potentia populi in quadringentos proceres cessura esset, oligarchi, qui novis rebus studebant, hoc modo rebus novandis consulùerunt, ut legem ferrent a senatoribus non posse populum in comitiis prohiberi, quin de omnibus rogationibus suffragia iniret, Ἀθ. π. IV 1 πρῶτον μὲν ἔγραψαν, ἐπάναγκες εἶναι τοὺς πρυτάνεις ἅπαντα τὰ λεγόμενα περὶ τῆς σωτηρίας ἐπιψηφίζειν, ἔπειτα τὰς τῶν παρανόμων γραφὰς... ἀνεῖλον... Hoc loco τοὺς πρυτάνεις non solum de consulentibus senatoribus dici credo, sed etiam significari iis verbis idem atque τὸν ἑκάστοτε ἐπιστάτην. Sin mea interpretatio minus recta sit, non possum adduci ut epistaten nullius momenti inter πρυτάνεις fuisse putem; eandem arbitror eum aucto-

ritatem erga πρυτάνεις habuisse quam πρυτάνεις erga populi comitia. Utcumque res se habuit, Xenophontis narratio brevior est et concisior, quam quae intellegatur. Omisit enim explicare quomodo factum esset, ut Socratis epistatae voluntate adeo spreta duces capitis contra legem uno suffragio damnarentur, cum Plato minus difficilis ad intellegendum videatur: cum plures τῶν πρυτάνεων Socrati non adsentirent, sententia adversariorum valuit. Et in hac re Xenophon in Hellenicis alia atque in Commentariis tradidit. Quae enim ibi (I 7, 14 sq.) legimus, optime cum Platone, non cum eis, quae ipse in Commentariis scripserat, consentiunt: τῶν δὲ πρυτάνεών τινων οὐ φασκόντων προθήσειν τὴν διαψήφισιν παρὰ τὸν νόμον... οἱ δὲ πρυτάνεις φοβηθέντες ὡμολόγουν πάντες προθήσειν πλὴν Σωκράτους τοῦ Σωφρονίσκου· οὗτος δ' οὐκ ἔφη ἢ κατὰ νόμον πάντα ποιήσειν. μετὰ δὲ ταῦτα ἀναβὰς Εὐρυπτόλεμος ἔλεξεν... Nullam igitur mentionem epistatae videmus. Sed in Commentariis praeter locum supra exscriptum etiam in libro IV 4. 2 Socratem epistaten vocavit: καὶ ὅτε ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐπιστάτης γενόμενος οὐκ ἐπέτρεψε τῷ δήμῳ παρα τους νομους ψηφισασθαι, ἀλλὰ σὺν τοῖς νόμοις ἠναντιώθη... Uncis locum inclusum a Dindorfio et aliis (cf. apparatum criticum) non curo; commodius quam verius iudicant qui quaecunque difficiliora sunt interpolata aut spuria censeant.

Quid igitur eis quae supra dicta sunt evincitur?

1. Xenophontem, cum scripsisset Memorabilia I 1 et IV 4, nondum Hellenica inchoasse, ne materiem quidem rei scribendae colligere coepisse.

2. Mem. I 1, 18 scripsisse eum innixum Platonis Apologia [1]) et quae perperam intellegeret mutasse (prytanis: epistates), quae autem a Platone minus vera scripta scil. decem duces, animadvertisset, corrigere studuisse, cum in rem accuratius non inquireret. In libro IV 4, 3 sq. adeo manifestum Platonem deprendimus, ut locus turpiter interpolatus et praeter alios Memorabilium locos e Platonis Apologia compositus esse creditus sit (cf. annotationem criticam p. XXX Gustavi Sauppe in stereotypa editione Tauchnitziana).

3. Inter duo priora capita Memorabilium scripta atque librum quartum compositum longius tempus non intercessisse, praesertim cum ea scripta esse videantur, quo tempore Xenophon exsul Atheniensis esse desiit et Expeditione Cyri vulgata clarus per totam Graeciam Atticamque haberi coeptus, id est post pugnam Leuctricam. [2])

4. Si cum doctissimis aetatis nostrae viris Eduardo Schwartz, Henrico Maier, Udalrico Wilamowitz (cf. H. Maier, Sokrates, Tübingen 1913, p. 71 et Wilamowitz, Platon I 94, II 102) ponimus

[1]) Cf. tamen Wilamowitzium Platon II p. 102: „da ist keine Spur von Entlehnungen aus sokratischen Büchern".

[2]) Cf. quae infra de Xenophontis Apologia dicentur.

Memorabilium partes certas brevi post pugnam Leuctricam, vel potius c. a. 365—360 a. Ch. n. conscriptas esse — quam sententiam veram esse maxime persuasum habeo — Xenophontem totam Historiam Graecam ultimis vitae suae annis animo concepisse credamus necesse est. Itaque recta demonstratur opinio Eduardi Schwartz, qui Hellenica tota, etiam librum primum, a Xenophonte Corinthi composita esse affirmabat (Rhein. Mus. XLIV 1889).

2. De Xenophonte et Aristippo Cyrenaico.

Memorabilium loco I 2, 60 perstringuntur nonnulli, qui a Socrate cum paucissima didicissent, parvulam suam et vilem scientiam magni vendere soliti sint (Σωκράτης... πολλοὺς... ἐπιθυμητὰς... λαβὼν οὐδένα μισθὸν τῆς συνουσίας ἐπράξατο.. ὧν τινες μικρὰ μέρη παρ' ἐκείνου πρῶτα λαβόντες πολλοῦ τοῖς ἄλλοις ἐπώλουν). Verba auctoris odium quoddam spirant eorum, qui se tam indignos honestissimi et innocentissimi hominis discipulos praestiterint. Si viri docti recte Aristippum Cyrenaicum hic peti suspicantur (cf. annotationes ad hunc locum) simultatem quandam inter Xenophontem et Aristippum intercessisse credamus oportet, cum verisimillimum sit Socraticis Aristippum sua de voluptatibus doctrina memoriae mortui Socratis detrectare visum. Videamus igitur num in Commentariis certiora simultatis indicia reperiantur. Atque primum in memoriam revocemus Memorabilium secundi libri initium. Primo capite huius libri colloquium inter Aristippum et Socratem habitum dicitur. Cum Aristippus nullos in vita labores subire in animo habeat eosque, qui in re publica administranda operam curamque conferant, irrideat, Socrates ut exemplo magis eum quam verbis doceat notam illam de Hercule in bivio narratiunculam profert. Quae tota res a Xenophonte ingeniosius quam verius inventa est. Iuveni Aristippo eandem sententiam attribuit atque postea professor ille voluptatis proferebat, et Socrates hunc potissimum de voluptatis vi et virtutis praestantia docet — cui omnes, qui librum legunt praecepta haec utilia non fuisse sciunt — quem maxime tali institutione philosophica talibusque praeceptis egere satis inter omnes constat. Qui Aristippum noverat, videre eum necesse erat, cum animo fingere conaretur, quo vultu et quibus oculis ille professor voluptatis futurus se a Socrate doceri passus esset. Neque animus eius tam sublimis doctrinae patiens neque mens capax videbatur. Fortasse etiam famam eius Xenophon hoc modo carpere voluit, ut Socratem his verbis perorantem induceret II 1, 34 Σοὶ δ' οὖν ἄξιον, ὦ Ἀρίστιππε, τούτων ἐνθυμουμένῳ πειρᾶσθαί τι καὶ τῶν εἰς τὸν μέλλοντα χρόνον τοῦ βίου φροντίζειν. Videlicet Socrates Xenophonteus laborem cogitandi saepe aut facile ab Aristippo suscipi non credit. Eos qui Aristippum noverant non fugiebat hic Socratem frustra operam in latere lavando consumpsisse, sed quamvis Socrates malum, quo animus Aristippi laborabat, suae philosophiae re-

medio non sustulisset eodem modo atque alios, tamquam medici docta arte praeceptis suis animi morbos levabat (id quod non infacete dixerunt „philosophische Schnellkuren"), non sentiunt Socrati miram quandam vim persuadendi defuisse, sed Aristippo animi constantiam veramque virtutem. Aristippum abire non animo elatum, utpote qui novum quoddam utile atque honestum *in animum induxerit*, sed *fractum pudore*, *laesa vanitate* animi, cogitantemque, quomodo suam cladem Socrate confundendo reparare possit occasionemque se ulciscendi inveniat Xenophon ipse testatur III 8, 1 'Αριστίππου ἐπιχειροῦντος ἐλέγχειν τὸν Σωκράτην, ὥσπερ αὐτὸς ὑπ' ἐκείνου τὸ πρότερον ἠλέγχετο, quibus verbis quin ad II 1 alludatur nemo dubitare videtur (cf. annotationes in editionibus ad III 8, 1).

Eis quae supra disputata sunt evincitur:

1, Fabulam de Hercule non esse similem fabulis Aesopicis, quas certa quaedam plus minusve ad rem apta praecepta, ad philosophiam moralem vel usum cotidianum spectantia, finiunt, quamvis earum speciem prae se ferat, sed ea Aristippum perstringi notari confundi.

2. Capite hoc non referri colloquium inter Socratem et Aristippum re vera habitum, sed totum hunc dialogum a Xenophonte fictum esse atque compositum.

3. Xenophontis naturam non tam integram, suavem simplicemque esse, ut videatur, sed posse ab eo quemvis obliquo ictu malevolo et maligno eodemque gravi et molesto peti.

4. Minime videri verisimiles opiniones Memorabilium libros confusos esse neque ab auctore in eum, quem nunc habeamus, ordinem redactos, cum viderimus optime in libro III ad II adludi, hunc autem primo libro se adiungi.

3. Possitne Apologia commentarios sequi necne?

Difficillimam quaestionem, quaenam ratio inter Commentarios et Apologiam intercedat, qui hoc opusculum spurium censent, non solvunt, sed parva quadam, ut aiunt, corporis declinatione effugiunt. Quam commodam magis, quam veram opinionem quod Wilamowitz (Platon II p. 102) amplexus est vehementer miror, nec minore tamen admiratione afficior auctoritate tanti viri non esse effectum, ut spurium esse libellum plures asseverarent — ipse quoque Wilamowitz, quamquam invitus, saepius de Xenophontis Apologia loquitur velut l. l. p. 147. Immo satis inter se consentiunt viri docti opusculum hoc esse genuinum videmusque eam sententiam satis magnis nominibus fultam (cf. Schanzii praefationis ad supra laudatam editionem Apologiae p. 76 sq. et praecipue p. 83 sq. et quos p. 84 et 87 in annotationibus laudat, H. Gomperz, Die Anklage gegen Sokrates in ihrer Bedeutung für die Sokratesforschung, Neue Jahrbücher LIII 1924, 129—173 et

quos laudat in annotationibus, imprimis H. Arnim, Memorabilien u. Apologie des Sokrates, Mitt. der Dänischen Akad. d. Wissenschaften 1923). Satis quoque consentiens est opinio Apologiam esse tempore priorem Memorabilibus (Gomperz) aut certe Memorabilium parte postrema (Schanz), cum et intellegi non possit, cur tam compendiosa defensio scriberetur post uberiorem Memorabilium materiam et manifestum videatur Apologiam scriptam ante Polycratis Socratis Accusationem, cuius libelli iam primis Commentariorum capitibus rationem haberi animadvertamus. Ad haec monitos viros doctos velim Xenophontem potuisse librum quendam pluribus annis postquam editus esset legere et e duobus libris facile fieri potuisse, ut opusculum tempore posterius prius ei in manus incideret. Inde efficitur non posse nos cognoscere, quo tempore Xenophon librum quendam composuerit, etsi pro certo sciremus quo tempore opus aliquod ab eo adhibitum in lucem esset emissum; nam quo tempore Xenophon opus quoddam iam editum legerit, reperire non possumus nisi — quod nulla investigatione indiget — nullum librum legi posse, priusquam scribatur. Argumentum ex silentio nihil valere non est quod moneam, cum non possit demonstrari secundum consilium auctoris mentionem libelli Polycratis fieri debuisse. Tantopere dissentio ab opinione Gomperzii, ut credam mentionem talem a consilio auctoris nostri abhorruisse. Nulla igitur exstant argumenta certa et opinio prolatis sententiis contraria potest proferri, cum eadem aut meliore ratione nihil a vero abhorrere videatur.

Quibus praemissis ponimus haec Xenophon defendendum Socratem duobus primis Memorabilium capitibus suscepit Expeditione Cyri scripta eaque simul cum fama sua iam pervulgata. Non scripsit haec homo ignotus, cuius verba nulla sint auctoritate, sed vir clarus qui sententias suas vim quandam et gravitatem habituras sperat. Exsulis Atheniensis laudationes profecto non commendassent Atheniensibus civem legitimo iudicio morte multatum, sine dubio irrisissent defensorem et eum qui defenderetur, cum vidissent quomodo similis simili gauderet. Itaque scripta haec capita videntur post pugnam Leuctricam, post Anabasin (quo tempore sit scripta videas praefationis praemissae editioni Rehdantz-Carnuth-Richter p. 38, Witkowski, praefationis praemissae polonicae versioni Anabaseos p. XII), post foedus inter Athenienses et Lacedaemonios factum vel certe postquam Xenophon ex exilio revocatus est (Wilamowitz, Platon II 102 haec duo capita tempore multo priora ceteris putat).

Libros Memorabilium ab auctore in eundem ordinem esse redactos, quo eos nunc habemus verisimillimum videtur parvis temporis intervallis intercedentibus.

Libri Socratici incipiuntur eo modo ut Commentarios non solum scriptos iam esse, sed etiam in manibus hominum versari intellegatur. Nam Oeconomicus et Convivium et Apologia addunt quoddam semper de Socrate in Commentariis omissum aut le-

viter tantum tactum et initia illorum librorum non intellegerentur, nisi ad Commentarios iam lectos alluderent.

Cur itaque Xenophon post Commentarios copiosissime Socratem cum defendisset, tam brevem neque tamen disertiorem defensionem in lucem emisisse videtur? Commentarii incipiuntur enuntiato, quo Xenophon vere et sincere profitetur, se nequire intellegere, quomodo Athenienses adducti sint ab accusatoribus, ut crederent Socratem poena mortis dignum esse; I 1 Πολλάκις ἐθαύμασα τίσι ποτὲ λόγοις Ἀθηναίους ἔπεισαν... Iterum atque iterum repetit magnopere se mirari id ita evenisse I 1, 20 θαυμάζω οὖν, ὅπως ποτὲ ἐπείσθησαν... I 2, 1 Θαυμαστὸν δὲ φαίνεταί μοι καὶ τὸ πεισθῆναι... Cum pergeret opus suum perficere usque maiore admiratione honestissimi viri et innocentissimi afficiebatur et quaestio ea difficilior ei in dies videbatur. Itaque cum ad ultima Socratis tempora commemoranda venisset, iterum maxima cum cura varias Socratis apologias praecipue Platonicam perlegit et tandem intellexit: non eloquentia accusatorum neque prae multitudine et praestantia pro accusatoribus testantium hominum aut vi allatorum argumentorum captum esse Socratem — illam iudicum sententiam consulto esse a Socrate provocatam, qui ita suam defensionem instituisset, ut ipse auctor se damnandi exsisteret. Sed cur Socrates illam μεγαληγορίαν adhibuit? Cum apud Platonem eius rei explicationem quaereret, nihil repperisse sibi visus — utpote homo apud quem omnis deliberatio in rationem utilitatis caderet — id, quod a Platone aliisque omissum esset, peculiari scriptiuncula supplere constituit, cum minime ad suum consilium quadraret librum ineuntem verbis nesciendi exire assertione intellegendi ea, quae initio obscura et difficilia fuissent. Aut totum opus ab initio erat mutandum aut seorsum libellus edendus, quo explicaretur, cur Socrates hanc potissimum se defendendi rationem ingressus esset. Xenophon id ita explicavit, ut Xenophon potuit; nemo alius ingenium eius tam penitus cognosset et eius sententias et cogitationes eo modo imitari potuisset. Huius rei argumento sint spuriae Xenophontis epistulae, e quibus videmus antiquos non ita mores vitamque Xenophontis perspexisse et cognita habuisse, ut ex eius sententia quidquam apte scribere possent.

Cum ultima libri IV Memorabilium et Apologia uno tempore animo Xenophontis concepta videantur, otiosum puto quaerere utrum ex utro exscriptum aut excerptum sit. Easdem sententias, ut ex re videbatur, in altero libro brevius in altero uberius explicabat, nonnulla repetebat. Accusationes Socratis non curabat neque opus erat Polycratem commemorare; non refellebat quae magistro dilectissimo obiciebantur, sed „apologias“ supplebat aut corrigebat et de Socratis defendendi se ratione disputabat, adiungens de Anyto nonnulla, quae sibi in mentem venirent. In lucem emissum libellum post Memorabilia edita credo, ut id etiam de Oeconomico et Convivio persuasum habeo, quae animo concipere potuit cum Memorabilium librum tertium ad calcem perduceret.

In Livium IX 16, 19 sq.

Livius uberius exponit hoc loco Alexandrum Magnum, si cum Romanis bellasset, sine dubio laudem suam invicti ducis amissurum fuisse. Cum plures viros belli peritissimos Romani habuerint, quorum unusquisque neque virtute neque consilio Macedonum regi clarissimo cederet, tamen maxime unum fuisse Papirium Cursorem, quo res Romana innixa stare posset, etiamsi a plurimis et audacissimis hostibus peteretur. Inter hunc Livii locum et orationem qua Appius Claudius Caecus in Plutarchi Pyrrho XIX 15—23, partes hortatur, ut pristinae Romanorum gloriae memores pacem spernerent, rationem quandam intercedere credo, quae ut viri docti animos in eam vertant mihi digna videtur. Nam Plutarchi verba: Ποῦ γὰρ ὑμῶν ὁ πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους θρυλούμενος ἀεὶ λόγος, ὡς, εἰ παρῆν ἐκεῖνος εἰς Ἰταλίαν ὁ μέγας Ἀλέξανδρος καὶ συνηνέχθη νέοις ἡμῖν καὶ τοῖς πατράσιν ἡμῶν ἀκμάζουσιν, οὐκ ἂν ὑμνεῖτο νῦν ἀνίκητος, ἀλλ' ἢ φυγὼν ἂν ἢ που πεσὼν ἐνταῦθα τὴν Ῥώμην ἐνδοξοτέραν ἀπέλιπε; Ταῦτα μέντοι κενὴν ἀλαζονείαν καὶ κόμπον ἀποδείκνυτε... manifestam similitudinem Liviani loci prae se ferunt. Quamquam Plutarchus hanc sententiam e Livio hausisse credi potest, quoniam e latinis auctoribus Cornelium Nepotem, Varronem, Livium ab eo adhibitos viri docti satis inter se consentiunt, tamen nescio an non errem, si affirmare ausim sumptam esse Alexandri mentionem e libro Livio vetustiore, fortasse Graeca lingua conscripto. Livius ipse ad scriptores quosdam alludit, qui Papirium Cursorem *parem destinant animis magno Alexandro ducem, si arma Asia perdomita in Europam vertisset* (IX 16, 19). Veri simile est illos auctores rebus Romanorum favisse et in mentem venit antiquorum annalium scriptorum, qui Graeca lingua res gestas Romanas composuerunt, ut Fabius eiusque aequales. Occasio Alexandrum commemorandi et quaerendi, num Romanos superaturus fuerit, saepius offerebatur, praecipue in Pyrrhi bellis enarrandis aut cum, quo modo a Macedonibus Hannibal adiutus esset, doceretur. Liviana latinitas difficilior est et propterea Plutarchum ex eius libris non solum quasdam res cognoscere voluisse, sed etiam sententias, quo eas in usum suum converteret, hausisse haud facile quisquam crediderit.

Quae supra attuli si vera sint, Livium antiquissimos annalium scriptores saepius adhibuisse, quam id vulgo putatur, credamus necesse sit, sententia autem secundum quam totus hic locus a Livio Augusti gratia insertus esset, ut contra Timagenem aliquid pro Romanorum dignitate et honore proferretur, probanda non videatur (cf. Ernestium Hohl, Philolog. Wochenschrift 1924, 706—712 laudantem locos libri c. t. H. Dessau, Geschichte der römischen Kaiserzeit I Berlin 1924, p. 549 annot. 1 et p. 375). Inseruit hunc locum Livius, quia eum in fontibus suis invenit, mentionem illam de Papirio Cursore Alexandro regi comparando dico: cum autem

recentiores Graecorum historici res Romanas gloriamque nominis Romani Alexandri commemoratione carperent, et uberius rem tractavit et in argumentis proferendis eorum (Timagenis) rationem habuit. Et si illi *levissimi ex Graecis* (IX 18, 6) laudi Romanae ita obtrectabant, ut negarent dubitari posse, quin maiestatem nominis Alexandri populus Romanus sustenturus fuerit neque crederent quemquam patrum contra Macedonum regem sententiam dicere ausurum fuisse, iure conicere nobis videmur auctores, quos Livius refelle c:tudet, iam ipsos ad quosdam alludere libros Graece conscriptos ab hominibus Romanis vel a Romanorum parte stantibus, quorum de Alexandro sententiam non modo refutent ut non veri similem, sed etiam tamquam insolentem et vana gloriosítate inflatam acerbe perstringant et irrideant. Iam ipsius Livii verba affero (IX 18, 6): „id vero periculum erat, quod levissimi ex Graecis, qui Parthorum quoque contra nomen Romanum gloriae favent, dictitare solent, ne maiestatem nominis Alexandri, quem ne fama quidem illis notum arbitror fuisse, sustinere non potuerit populus Romanus, et adversus quem Athenis, in civitate fracta Macedonum armis, cernentes tum maxime prope fumantes Thebarum ruinas contionari libere ausi sint homines, ...adversus eum nemo ex tot proceribus Romanis vocem liberam missurus fuerit!“ — et reputa quid illa insolentia et impudentia auri Romani verba spirent et sibi velint: non solum res Romanorum minuuntur et reprehenduntur, sed etiam nimia eorum de se opinio ab eorum scriptoribus expressa. Fortasse cum ita suspicamur neque hoc praetermittendum: Livius excusandum sibi putat, cur a re proposita digrediatur uberius de Alexandro disputando: id se facere occasione oblata ubi mentio Alexandri facta esset, sed cur ea mentio sit facta explicandum ipsi non videtur, tamquam putaret ordine rerum, cum de Papirio Cursore peregisset, necessario addendam fuisse illam sententiam IX 16, 19. Propterea autem videtur non dubitasse, quin talis sententia ad hunc locum quadraret, quod eam in libro a se usurpato iam perscriptam invenerit. Quo quisque facilius ipse iudicium ferat, appono initium capitis: „Nihil minus quaesitum a principio huius operis videri potest, quam ut plus iusto ab rerum ordine declinarem varietatibusque distinguendo opere et legentibus velut deverticula amoena et requiem animo meo quaererem; tamen tanti regis ac ducis mentio, quibus saepe tacitis cogitationibus volutavi animum, eas evocat in medium, ut quaerere libeat, quinam eventus Romanis rebus, si cum Alexandro foret bellatum, futurus fuerit.“

Si Plutarchus re vera suum enuntiatum enotavit e libro ubi id de Papirio Cursore dictum erat, movetur suspicio eum cogitasse aliquamdiu de vita Papirii scribenda et postea hoc consilium omisisse.

Leopoli. A. RAPAPORT.

DE ZOILO HOMERI OBTRECTATORE.

In Suidae lexico (ed. Bernhardy, Halis 1853) s. v. Ζώιλος haec legimus: ...ἐπεκλήθη Ὁμηρομάστιξ, ὅτι ἐπέσκωπτεν Ὅμηρον. ...ῥήτωρ δὲ ἦν καὶ φιλόσοφος. ἔγραψε μέντοι τινὰ καὶ γραμματικά, κατὰ τῆς Ὁμήρου ποιήσεως λόγους ἐννέα. ...καὶ κατὰ Ἰσοκράτους τοῦ ῥήτορος, [καὶ ἄλλα πλεῖστα, ἐν οἷς καὶ ψόγος Ὁμήρου]. In apparatu critico Bernhardy sic annotavit: „καὶ πλεῖστα, ἐν οἷς omisit V (= Vossianus), qui mox ψόγον. Sed recte nescit Eudocia etiam ἐν οἷς καὶ ψόγος Ὁμήρου. Glossae conclusionem notavi, quippe fabricam hominis semidocti." At Eudociae Augustae Violarium a Graeco docto Constantino Palaeocappa litterarum renatarum aetate falsificatum et suppositum recentiores docti ostenderunt (cf. Christ-Schmid, Gesch. der griech. Litt. II ^{5} 1913, 895 sq.), verba autem, quae aliis in codicibus afferuntur, ab interpolatore ignoto, sed non indocto adscripta esse videntur, qui quaedam in catalogo eius scriptorum a Suida tradito requirebat eademque supplevit. Fortasse iam in archetypo librorum manuscriptorum, quos nunc habemus, legebantur, cum V quoque quaedam lectionis aliorum codicum vestigia exhibeat. Itaque in opinionem adducor a Zoilo reapse declamationem aliquam contra Homerum scriptam esse. Fortasse nonnulla capita e magno opere a Zoilo ipso excerpta ac suppleta edita sunt ita, ut peculiarem Homero obtrectantem declamationem efficerent cuius modi in maximo favore Aristotelis temporibus fuisse scimus (v. Christ-Schmid l. l. I 6 ^{6} 81 et ann. 4).

IN VERGIL. ECL. IX 57.

Vergilius scribens ecl. IX 57—58:

> et nunc omne tibi stratum silet aequor et omnes,
> aspice, ventosi ceciderunt murmuris aurae

imitando expressit Theocritum II 38 ἠνίδε (= aspice), σιγᾷ μὲν πόντος, σιγῶντι δ' ἀῆται et VII 57 γαλάονες στορέσουντι (= stratum) τὰ κύματα τάν τε θάλασσαν. Nonnulli interpretatores Servium secuti *aequor* hic idem ac spatium campi (cf. Georg. III 195) significare putant, alii vero Lycidan non mare, sed lacum aliquem aut separatum fluminis prope Mantuam brachium conspicere autumant, (cf. Vergils Gedichte erkl. v. Ladewig-Schaper adn. ad ecl. IX 57 et append.). Attamen alio modo hos versus interpretari oportet. Poeta enim secundum propriam sibi componendi artem (qua de nuper disseruit Jachmann, Die dichterische Technik in Vergils Bukolika, in: N. Jahrb. XXV 1922, 101 sq. et Witte) non solum eclogarum personas, verum et regiones adumbrat ac delineat et solo quodammodo animo format. Quam ob rem tute licet asserere in ecl. IX non unam ac simplicem loci naturam, sed regionem fictam subesse, quae ad poetae libitum initio et exeunte carmine varietur.

Leopoli. STANISLAUS PILCH.

IN AEGRITUDINEM PERDICAE (ANTH. LAT. 808 R.) ANIMADVERSIONES

scripsit

GUILIELMUS BARBASZ.

Aemilius Baehrens a. 1877 in libello inscripto: „Unedierte lateinische Gedichte" ex cod. Harleiano saec. XV sequioris aetatis edidit poemata: inter quae gravissimum profecto epyllium, c. t. Aegritudo Perdicae, tristia Perdicae amoris in Castaliam matrem fata describit. Cuius epyllii textus tot tantisque scatet corruptelis, ut post egregias plurimorum doctorum curas nihilo minus multis locis et explicatione et emendatione etiamnum egeat. Princeps equidem editor planiora non infeliciter correxit aliasque correcturas, cum iteratis curis textum in Poetis Latinis Minoribus, Lipsiae 1883, V 53 sq. ederet, larga manu addidit. Post illum alii vices has susceperunt: primus omnium Ervinus Rohde, qui quae invenisse sibi contigit per epistolam cum editore communicavit, qui haec in appendice imprimi fecit. Brevi post Conradus Rossberg in ephemeride Jahrbücher f. class. Philologie CXVII 1878, 427 sq. et CXXIII 1881, 357 sq., alia Ellis (Journal of Philology VIII 1880, 226 sq.), Otto (Jahrb. f. class. Philologie CXXXV 1887, 783 sq.) correctiora protulerunt. Emendatorum editorumque agmen claudit Alexander Riese, qui in altera Anthologiae Latinae editione (a. 1906) hoc epyllium denuo correctum aliorumque (sc. Hilleri, Zieheni) emendationibus auctum cudi fecit. Quarum editionum pessima est prima, at altera Baehrensii et Riesei eiusdem fere pretii sunt. Sed iam ipsum textum emendandum adire liceat. [1])

v. 5. 6 Hoc ubi testabat postremum saeve Cupido
At dirum in matris iuvenem compellis amorem.

Ita H. Emendarunt: *Hoc tibi restabat p. s, C.* | *Quod d. in m.* etc. B, *Ah dirum in m.* Ro, *Ad dirum matris* Ros. B non nititur in codice: praeterea v. 9 eius coniectura admissa pendet ex v. 5: quod si cui probaretur, potius *ut* requireres et *compellis* mutares in *compellas:* Rohdii vero *ah* v. 5. 6 minime separandos disiungit: idem facit *et* Ros., qui praeterea *in* eiecit. Ergo leg. censeo *et* pro *at: compellere* enim coniungitur tam cum *in* praepositione, quam cum *ad*, v. gr. Liv. XXV 29: *Compellere aliquos in eundem metum.*

v. 7 Muta precor flammas aliasque intende sagittas

Alioque B et alii: at haec mutatio intellectui non mediocriter obstat: variat enim poeta sententiam priore versus parte prolatam: *muta flammas* nunc dicens: *aliasque intende sagittas:* minime

[1]) His compendiis usus sum: B=Baehrens, H=codex Harleianus PLM=Poetae Latini Minores, Ri=Riese, Ro=Rohde, Ros=Rossberg, ULG=Unedierte Lateinische Gedichte.

vero is qui tota epyllii praefatione contra Amoris consilium insurgit, nunc Amorem easdem sagittas aliis ut intenderet commode adhortaretur: similem in scribendo parallelismum auctor aliis multis poematis locis observavit, ut v. 17. 182. 134—135 etc.

v. 14 Namque omnes superos et terrat templa deorum
Ture pio sacroque mero votisque colebat.

Medelam proposuit B: *et cetera*, Elementa *cet* propter *et* praecedens omissa esse, non est quod quaeras: similiter *t* in fine vocis *terrat* ex ea quae sequitur voce *templa* translatum esse patet: attamen unde *r* duplicatum irrepserit, frustra sane rimeris. Quam ob rem propono leg.: *et terra*, ut sit intellectus: Omnes colebat superos et omnia in terra templa deorum.

v. 31 Fonsque regit medio nota per gramina lapsa.

Corruptelae ansam sine dubio praebuit defectus obiecti quod pendeat ex verbo *regit:* nunc habes prosodicam mendam in voce *nota*, grammaticam in *lapsa*, quae nullo modo ad *gramina* pertinet, cum *labi* sit intransitivum. His ita mederi conatur B: *f. riget m. nota per g. lapsus* — at fons per medium labitur lucum, non per totum, ceterum menda in voce *tota* minime tollitur: ubi productionem eam ob rem non admittimus, quia caesura post vocem *medio* ponitur. Alia dedit Ellis: *f. rigat m. rorans p. gramina lapsa* — at hic *rigat* caret obiecto, *lapsa* vero, ut diximus, ad *gramina* pertinere non potest. Igitur sequemur Ros. legentes: *regit* et emendantes *lapsa* in *lapsum:* reicimus tantum id quod proposuerat *mota* propter metrum, pro quo leg. censemus *notum*, ut intellectus sit: fons regit suum notum lapsum ac consuetum per gramina.

v. 72 radiosque micantes
Sol iste fugisse putas lucosque petisse
Ignoras intus tibi gravior flamma paratur.

Bene B: *Solis te fugisse putas.* Haeremus in vocibus: *lucosque petisse ignoras:* desideras enim quid hoc sit *lucos petisse:* intellexit hoc B, qui propterea ausus est mutare *ignoras* in *ignavos*, sed praepostere, cum quomodo lucus dicatur ignavus profecto nescio. Neque quod Ro. commendavit *ignorans* intellectum adiuvat: quod B ostendit, cum has propositiones in PLM neglexerit, post v. 73 unum excidisse versum suspicans. At corruptela quaerenda in voce *petisse*, cuius desinentia voci *fugisse* debetur, itaque leg.:

radiosque micantes
Solis te fugisse putas lucosque petisti
Ignotos! Intus gravior tibi flamma paratur!

V. 80—95 alii alium dederunt ordinem. Impediebant enim intellectum impr mis v. 92 sq., qui ipsi minus clari ac plani, hoc loco syntaxis regulas quodammodo infringunt. Transpositionum seriem inauguratus est B, qui qu nque statuit (79. 81. 80. 85—87. 92—93. lacuna. 82—84. 88—91. 94 etc.) existimans hos errores arcte cohaerere cum praepostera transcriptione v. 240—260 post

v. 79, quos ipse scriba delevit. Sed aptissime haec scribae incuria chartarum transpos tione explicatur: quae res profecto alterius est generis atque tot vicinorum coniunctorumque versuum commutationes. Vidit iam Ros. has mutationes minime esse necessarias, qui omnia ut in codice habentur suo loco reliquit exceptis v. 92 sq. quos inter v. 81 et 82 collocavit. Otto vero v. 92—93 ponit post 95 et post v. 93 unum putat excidisse versum, quo verbum dicendi haberetur, quem post v. 92. 93:

Et quotiens iuvenis mutata est mente figura
Vel quotiens pulsante deo nova forma secuta est

omnino deficere Otto miratur.

Novum versuum reiecto priore ordinem B in PLM proponit duabus nunc contentus transpositionibus: 80—83. 85—87. 84. 88—91. 94. 92—93, 95 etc.: cuius ordinis ratio haec esse videtur, quod vocis *matris* in fine 84 et initio 85 repetitae causam particulaeque *enim* in v. 85 explicationem nescierit. Paulum ordinem a B acceptum immutavit Ri ita versus ordinans: 80—81. 85—87. 82—84, cetera ut B.

Quoniam exceptis v. 92—93 omnia recte se habere contendo, ea sola hic proferam, quae quomodo hic locus sit intellegendus quamque ob rem aliam versuum locationem supervacaneam ducam accuratius ostendant: quod ut actius fieri possit, versus hos meis instructos correcturis hic adscribam:

80 Complexusque dedit per somnia t r i s t i a imago
Et saevo iuvenem confodit pectora telo.
Qui postquam somno miser est deceptus acerbo
Ardet in incestum, puero simulante figuram
Ingrediturque suae regalia limina matris
85 (Matris enim m i s e r e c a r a e dinoscere vultus
Non poterat, quam parvus adhuc dimiserat olim,
Cum peteret divae doctissima templa Minervae).
Continuo natum famulae venisse parenti
Castaliae dixere suum: pietatis honore
90 Illa memor nati venienti est obvia facta:
Oscula q u o t q u e dedit materni plena decoris!
94 Quam miser ut vidit, suscepit v u l n e r a c o r d e,
95 Haesit et insano obstipuit deceptus amore.
92 Et quotiens iuvenis mutata est mente figura,
93 Vel quotiens pulsante deo nova forma secuta est
. . . . . .
96 „Heu, ego quam vidi per somnia tristia demens etc.

Versibus 78—81 poeta describit somnium quo Cupido Perdicae illusit, v. 82—83 somni exitum, 84 Perdicae adventum in domum patriam; v. 85—86 efficiunt parenthesin explicantem, cur Perdica somnio non obstante amoreque somniis excitato domum profectus sit; cur non potius recusaverit iter, in causa erat mater ignota, utpote a puero paene infante relicta: quo aptissime vocula *enim* explicatur, idemque confirmat vox *matris* repetita, quae parenthesin inferri indicat.

Attamen mea quidem sententia nullo modo suo loco manere possunt v. 92—93 propter sententiae, immo potius grammaticos

nexus, qui v. 91 a v. 94 minime seiungendum indicant. Quod si v. 92 sq. ut poetae exclamatio sunt intellegendi, nihil sane esset movendum: at sententiam obscuriorem evadere, quam ut exspectare liceat quis non animadvertit? Qui inter v. 94 et 95 collocari nequeunt, quia post *quotiens mutata est* in versibus sequentibus imperfectum et non perfectum *(haesit, obstipuit)* poni exspectamus. Propterea Ottonem sequens post v. 95 illos collocavi unumque postea versum excidisse censeo.

Ros. versus hos ad varios concubinatus formas, ab Amore in somnis Perdicae monstratas referri putat. Quae explicatio et ipsa non est veri similis et transpositione reiecta reprobatur. Sententia enim mihi potius versari vel si mavis ludere videtur in alternis matris et amasiae formis inducendis, in quas Castalia in iuvenis imaginationibus mutabatur: quotiens Amore pulsante mater illi in amasiam mutata est et vice versa amasia in matrem, Perdica perterritus illane somni imagine re vera viderit amatam necne percontabatur. Ita profecto hos versus esse intellegendos et v. 96—97 demonstrant.

Restat ut paucis de coniecturis propositis verba faciam. V. 80 *tristis* corrigendum est in *tristia*, quod B in ULG fecerat, sed in PLM reiecit: somnium enim est triste, non mater, quod ceterum luculenter probatur v. 96, ubi — quod saepissime in hoc carmine accidere scias — haec locutio repetitur. — 85 *matris et in misere care* H, *matris enim miserae caros* B, *enim invisae* Ros, *enim in viso carae* B in PLM, *m. enim clare* Otto. Quarum coniecturarum pessimam protulit sine dubio Otto: Perdica enim matrem nullo modo cognoscere potuit: probabiliores sunt multo ea quae B et Ros proposuerunt, at cum nulla mutatione opus sit, si nobiscum *misere* adverbium esse putaveris et quod cod. tradit *care* in *carae* correxeris (sc. misere factum est quod etc.), utrumque aspernamur. Quam lectionem non solum codex, verum etiam factum quod mater nondum misera appellari poterat, maiorem in modum confirmat.

v. 91 *quaeque* H, *quoque* B. — *Osculaque aequa* B. in PLM. B respuit *quoque* propter licentiam quam induxit prosodiacam: sed neque *aequa* raro acceptum intellectu pro *benevola* mihi probatur, pro quo leg. puto *quotque* ex exemplo quod hic poeta imitatus est Ovidii Am. II 19, 18 *Oscula, di magni, qualia quotque dabat!* Saepius namque hic epyllii auctor Ovidianas mutuat locutiones. Post v. 90 virgulam, post 91 exclamationis signum posui.

v. 94 *vulneris ora* H, *vulnera cordis* B, *vulnere curas* B in PLM, *vulnera dira* Ros, *vulneris orsa* Otto. *Vulnere curas* nimis insolita est locutio, quam iure merito posteri dedignati sunt. At Ottonis coniecturae haec obici possunt: 1. *orsa* acceptum est vi vocis *coepta, consilia* non quod videl. hic expostulatur, *initium* 2. exspectes potius gen. pl. *vulnerum* 3. primum vulnus Perdica in luco accepit, ubi in somnis Cupido *iuvenem confodit pectora telo:* vides cur nobis reprobetur. Ea quam Ros. proposuit coniec-

tura apta quidem, sed malo reverti ad priorem Baehrensii propositionem paulo mutatam scribens scil. *corde*.

V. 101—112 B quem in hoc Ri secutus est, suo loco versus relictos scripsit, quod mea quidem sententia nullo modo probari potest. Necessitatem transponendorum versuum iam Ro. et Ros. animadverterunt: quorum hic v. 104—105, qui ex emendatione a B proposita subiecto carebant — B enim *noctem* putavit esse subiectum, quod, ut Ro. demonstravit, fieri non potest, quia interruptus est nexus interposito v. 103 —, alter vero, etsi subiectum invenisset, de quo infra dicemus plura, non seiungendos putavit v. 103 et 108. Quam ob rem Ro. ita disponit versus: 103. 108—110. 104—105. 111. 106—107. 112 sq. Ros. vero hoc modo: 101—102. 108—110. 103—107. 111 sq.

Duabus de causis quas Ro. et Ros. exposuerunt hi versus sunt transponendi, etsi paulum aliter ac viri hi voluerunt. Prior namque ratio rerum naturae descriptae unitatem efficere nititur, altera subiectum, quod nunc quidem desideratur nostraque sententia est *somnus*, versibus 104—105 parare curat. Huc accedit et tertia ratio, scil. quod si v. 111 immediate sequeretur v. 110, nesciremus profecto ad quod referantur verba: *hoc scelus:* cum primo sermo esset de terra somno oppressa, de quonam scelere diceret poeta? Quae ut melius intellegas versus hos a me emendatos exscribam:

101 Et nox umbriferis per caelum roscida pinnis
Presserat aërios fugientis solis honores
Cunctaque per terras animalia pressa sopore.
108 Omnia fessa domat caelestia sidera somnus
Fluminaque ⟨ille⟩ tenet nec non maris imperat undis;
Corpora vel modicam compellit adire quietem,
104 Sola tibi dulci numquam, Perdica, quieti
Tradidit assiduis ardentia lumina flammis.
Nox ipsi maesta ⟨est⟩ : vigilat metuitque tremitque,
Suspirat numquam requiem daturus amori.
111 Pro dolor! hoc scelus est soli vigilantis amori!
Tunc quoque Perdicam ⟨saevo⟩ premit igne Cupido.

v. 101—103. 108—110 apte cohaerentes imaginem repraesentant concinnam quae non infacete opponitur insomniorum imagini v. 104—107. 111 sq. descriptae. Ultima denique ratio hos versus ita, neque aliter esse nectendos elucet ex exemplo quod poeta hic accuratissime expressit; scil. Vergilii Aen. IV 522—533, cui ipsi Apollonius Rhodius in Argonauticis. III 743 sq. praecesserat.

H v. 104—105 ita tradit: *Soli tibi d. n P q. | T. ardentis a. l flommas*. quod B correxit: *Solum te d. n P. q | T. a. a l. flammans. Noctem* ad quam hic attributum *flammans* accedat, subiectum non esse iam supra indicavi: ceterum hac lectione probata duo haberemus obiecta, *te* et *ardentia lumina*, aeque asyndeta, et praeterea *solum tibi* esset mutandum in *solum te:* denique B in PLM hanc coniecturam retractans eam quam Ros. proposuerat suam fecit scribens ex exemplo v. 196: *assiduis a. l.*

flammis (ubi *ardentis* ex quadam assimilatione ad *ardentia* ortum esset). Attamen ea quam Ros. dedit coniectura sine dubio verum non aperit mutans *soli tibi* in *solus ibi*: *ibi* enim intellectu hoc carens loco, evidenter solummodo ut metri lacunam expleret addidit Ros. Quae cum ita sint, non movendum esse *tibi* censeo, proque *soli*, quod metri causa tolerare non licet, substituo *sola* scil. *ardentia lumina*, ita ut enuntiati huius subiectum sit *somnus*.

Iam haec dicta invenies: Nox venit, totam terram somnus gubernat (101—103. 108—110) — qui solum Perdicae oculos assiduis flammis flagrantes quieti non tradidit (104—105). Iuvenis hic noctis insomnis tormenta patitur, cumque requiem urgenti illum amori dare non possit (101), poeta exclamat: Iam vero video amori soli vigilantis calamitatem hanc (ita enim accipio *scelus* cf. Plaut. Capt. III 5, 104 *maior filius potitus est hostium*: *quid hoc est scelus!* Martial. VII 14 *accidit infandum nostrae | Scelus, Aule, puellae, | Amisit lusus deliciasque suas)* adscribendam esse [1]). Sed non solum amori: tunc quoque Cupido saevo telo Perdicam premebat (in v. 112 explicando cum Ro. sentio).

Ad minores nunc transeo mutationes. V. 101 H tradit *sed*, quod hoc loco offendit: nulla enim habetur oppositio, quod et B animadvertens *sed* in *iam* correxit: at propius a tradita lectione stat *et*, praesertim cum similem invenias vocis corruptionem in v. 92. — In v. 106 pro *tenetque* H coniecit B *tepetque* i. q. *amatque* verum quod minus idoneum huic loco videtur: nimis enim praeceps ac necopinus est transitus a metu ad amorem: quam ob rem poetam metum pluribus pinxisse suspicans scripsi *tremitque*.

v. 116 Tales triste feras reddit de pectore voces.

Haec H: *tristificas* B, *triste fremens* Ros. Quae quamquam sensum congruum reddunt, tamen nulla necessitate a codice nimis recedunt: scribenti enim: *triste ferens*, *voces* ἀπὸ κοινοῦ et ad *ferens* et ad *reddit* pertinere patet: eandem plane constructionem observatam vides et in v. 51: *quaerit ...scrutatus ...silvas*, et v. 164 optima scil. quam Ellis dederat coniectura accepta: *incutiunt*: *...iaculantia (iaculata* H) *...dolores*. *Ferre* enim poetis aliquando audire *proferre* notissimum est, ut apud Verg. Aen. II 160:

> Tu modo promissis maneas servataque serves
> Troia fidem, si vera feram

v. 147 Sed iecor et splenis temtata cobilia patri
Quae fellis metuenda domus

Ita H: *t. cubilia et atri | Fellis*: *quae metuenda domu?* B, *temtanda c. parte | Qua f. m. domus* Ros., *domus* ex *putant* vel

---

[1]) *Scelus* pro *calamitate* dici vix adducar ut credam. Hunc versum potius ita leg. existimo: *Pro dolor! haut scelus est* etc., ita ut dictum sit: scelus, scil. incesti desiderium, non vigilanti tantum inerat, sed et dormiturienten *(tunc quoque)* vexabat. G

ex simili quo corruptum esse existimat Ri. Hos versus videmus dupliciter esse intellectos: B *domus* communi ac trita vi dictum accepit ut v. 148 sq.: *Sunt omnia sana | Per proprium digesta larem, sunt cuncta quieta | Et vitae devota suae,* ad domesticos rettulit. At veri similius Ros. *domum* cum voce *fellis* coniungens interpretatus est *sedem*, idemque v. 148—150 dici contendit. Multis de causis prior explicatio falsa videtur, quas hic afferre longum esset, praesertim cum recentiorum nemo huic adstipulatur opinioni. Attamen textum qualem Ros. reconstruxit medela indigere videtur. Rectissime namque B *patri* mutavit in *et atri*: et praeterea, cum talis vocis *domus* usus qualem Ros. et qui cum eo sentiunt, scil. quod *sedem* significet, antiquorum exemplis quod sciam probari nequeat, et *putant* quod Riese voluerit nimis a tradita codicis lectione recedat, nostro iure ita leg. censemus:

Sed iecur et splenis temtanda cubilia et atri
Quae fellis metuenda homini,

ut sit intellectus: temtanda sunt splenis cubilia et (cubilia) atri fellis quae metuenda sunt homini.

v. 156 non isti calor est p u l s o nec vena m i n a t u r

Ita H: *pulsus* B; pro *minatur* suspicor leg. esse *movetur* i. q. turbatur: res enim agitur de irregulari pulsu affecto febri, cf. Cic. Fat. 8. *Si cui venae sic moventur, is habet febrem.* Hoc modo duo versus partes inter se iunguntur, quas ita virgula posita distinguo: *Non isti calor est, pulsus nec vena movetur.*

v. 157 N u m sacrae partes, quibus omnis vita tenetur,
Discordare parant, c u m mox elementa resolvant,
Quae faciunt hominem, dum quatuor ista ligantur?
160 Stridenti gremio vivaces impedit auras?
N o n o m e n t a suas per mollia viscera sedes
<C o m m u t a n t>

Ita ego leg. puto inducta interrogatione rhetorica. *Nam* H sensu destitutum a Ri. in *non* est mutatum, pro quo *num* substituo; at v. 158 *cum* potest esse explicativum, scil. num sacrae corporis partes discordant, hac quidem discordia, cum mox elementa resolvant sacras partes? Item posui interrogationis signum post. v. 160 (num vitae auras stridenti gremio i. e. anhelante pulmone impedit?).

v. 162 mutilus est traditus, servata sunt: *Non corda vagi pulmonis anhelant;* v. 161 probo Ellisii coniecturam *non omenta* pro tradito *momenta*, quippe quod primo scribebatur NONOMENTA, pro quo scribarum incuria notiore voce supposita compendiis fortasse intercedentibus, ut NOMENTA, effecit MOMENTA. At deest praedicatum: B quidem addidit *conservant*, ipsa vero sententia postulat contrarium: nam tota hac meditatione pronuntiata Hippocrates certiores nos reddit viscera aegri a morbo esse intacta, unde animi morbum in causa esse concludit. Recte ergo verbum omissum id indicasse contenderunt: non inepte Ellis

excedunt, Ri. *deficiunt* aut *destituunt* leg. putarunt: at sensus elementorumque forma potius commendant eam quam scribi feci lectionem, quae propter versus antecedentis initium a scribis omitti potuit (cf. MOMENTUM: COMVTANT).

v. 167 Dum quae fuit ille tenenti
Mitis et in lentos motus et qualiter apta
Improbiter digitos quatiens pulsantibus arguit.

Ita H: *Tum q. f. ante t.* | *M. et i. l. m. aequaliter acta* | *Improbiter d. q. pulsatibus urguet* B. *Improbiter* eandem hic haberet vim atque *insolito, irregulariter*, quod cum a trito huius vocis intellectu (qui est *scelerate, nequiter)* longe abest, conicio leg. *improvide*. Contra *arguit* retinendum contendo, quamquam *u* tunc semivocalis naturam induit, quia aptissimam sententiam efficit, scil. vena mota improvide iuvenem vel amorem prodit.

v. 174 Hic animi labor est hebeo iam cetera dicant.

Hoc H: *abeo* Hiller, *di dant* B. Fortasse leg.: *Hic animi labor est, iuvenis iam cetera dicat*, quod et medici verba dilucidiora reddit et explicat cur mater apud filium tantopere insistat, quae oratio matris ad filium (v. 178—184) matrem ex obscuris medici verbi verum enodasse probat.

v. 175 Talia fatus habet sed matrem nati nova cura premebat

Ita H. Versus huius partem utpote ex v. 220 *(interea matrem nati nova cura premebat)* interpolatam B seclusit hunc constituens textum: *Talia fatus abit: matrem nova cura premebat.* Attamen *sed*, quod certe desideratur in v. 220, retinendum mihi videtur et leg. ita: *Talia fatus abit: sed matrem cura premebat.*

V. 180 *Inclita (indica* H) *si virgo est: Hymenaeos iungere (vincere* H) *possum*: multo concinnius legebatur: *hymenaeo* (i. q. nuptiis) *iungere.*

v. 189 Roscida post radios aeternaque lumina solis
Nox tenebris discussa suis compresserat omnes.

Haec H: *nox t. diffusa* B, *aestivaque* Ros., *aeternaque* Hiller. *Aeternaque* lectionem movendam non puto, cum congrua sit: item *discussa* servandum censeo; *post* enim est adverbium temporale i. q. postea, deinde, *discussa* vero cum *radios* et *lumina* coniunctum idem sit quod part. *discutiens*, sed temp. perfecti.

v. 193 Sed solū tenuit ueneranda te casus umbras.

Haec H: *solum te tenuit miserum totasque per u.* B, *sed solus tenet et tenebrosa tectus in umbra* Ri. B pro suo more nimium discedit a litteris traditis, praesertim cum initio *sed* omittat. Sed neque unde Ri. suum *tenebrosa* effecerit satis clare patet. Unde autumo leg.: *Sed solum tenuit miserandum et clausus in umbris* | *Continuus tollit pharetras.*

v. 196 Et Pudor huc aderat proprio comitante v i g o r e.

Hanc codicis lectionem omnes intactam reliquerunt: attamen similes antiquorum loci demonstrant Pudorem non *vigorem*, sed potius *rigorem* i. e. severitatem ac gravitatem comitari: ergo *rigore*.

v. 203 F a m a m q u e surgentem r e v o c e t n e a n i l l a n s.

In versus initio habes mendam metricam et foede corruptum *neanillans* in fine, pro quo B scripsit: *Famam surgentem revocet petit ille, sed ille*. Attamen haec minime verum attingunt: eiecto enim *que* B v. 202. 203 asyndetos reddit, deinde insolitam admittit verborum constructionem: *petit ...revocet*, denique id quod suspicatus est *petit ille, sed ille* nimium a traditis litterarum formis recedunt. Meliuscule sane Ri. legendum putavit: *Flammamque urgentem revocat*, sed altera versus parte nimium traditas litterarum formas deseruit scribens: *negat alter, at alter*. Ante omnia enim patet *neanillans* corruptum esse participium, quod omnino in versus fine retinendum est, cum hoc versus loco rarissime voces omittantur. Huius rei rationem habens scribo: *Famaque surgentem revocat <ratioq>ue vacillans | Ire iubet* i. q. rumor, quem matris habens respectum veretur, de thoro surgentem, ut matri amorem incestum fateatur, revocat — sed ex altera parte ratio vacillans furore amoris rursus matris cubiculum intrare iubet.

v. 216 et si tibi tela fu-oris
Defuerint, e t s i de Iove fulmina sumas.

B pro *et si* scribit *etiam tibi*: approbo *etiam*, sed non expungo *si*, quod ipsa grammatica hic expostulare videtur, si ita distinxeris: *Et si tibi tela furoris | Defuerint, etiam si de Iove fulmina sumas, | Vincere non poteris.*

V. 223 *sed quis vigor illis* H, *si quis vigor illis* B, quo reprobato accepit quod Ros. proposuerat: *sed quis vigor illex*. Quia v. 225 legimus *quae statuisset, illic* auspicor corrigendum esse in *ulli*, id quod enuntiatum finale inducit, scil.: *si quis vigor ulli*.

v. 231 candidior c o i g n e p e r u e n i t altera d i s c e.

Ita H; *Progne* (aut *Chione) venit <allera et> altera Dirce* B. Fortasse in exemplo extabat: *c. P., praevenitque altera Dirce*, quod certe propius ad traditas litterarum formas accedit: *praevenit* hic non plane solita vi pro *praecellere* dictum esset, at hoc poeta pluries hic admisit, ut v. 11 *iterare* = narrare, v. 111 *scelus* = calamitas.

v. 234 et lumina flectens
In matrem traxit d u r a suspiria corde.

Post *matrem* ponas virgulam. *Dura*, cuius ultima syllaba brevis, metricae rationes hic non tolerant: ceterum minus intellegitur ut attributum cum *suspiriis* iunctum. At quod B coniecit *duram* mihi minus probatur propter has rationes: 1. prius orationis mem-

brum finitur in voce *matrem*, post quam virgula est ponenda, minimeque zeugma quoddam admittentibus dicere licet: *in matrem traxit suspiria*, quod intellectu caret, quippe cum hic poeta iuvenem matrem cum puellis matronisque comparantem fingit, 2. poeta pro suo more in componendo carmine talibus matrem pingere coloribus anxie vitat. Non male quidem Ros. legit *dubio corde*: sed concinnius mihi videtur scrib.: *tra<it cura suspiria cordis* i. e. propter curam emisit imo de pectore suspiria [1]).

v. 237 Pro dolor! o superi, defecerat altera forma?
Mater amanda fuit?

In utriusque enuntiati fine interrogationis signum posui, ut aliquo saltem modo Perdicam salutem desperasse indicarem, cum coram virginibus sibimet ipsi fateri cogeretur, nullam praeter matrem feminam se posse amare. Ita ergo hos versus explico: „Ullane me defecit, o dii, pulchritudinis forma? Solane omnium mater mihi est adamanda?" *Forma* enim, ut saepius poetis, dicta est pro *pulchritudine*, ut v. 241 *gratia formae*, unde praeclara sua loa. Secundus in Basiis: *Quanta vis formae* et *O vis superba formae!*

v. 241 Quid viperas sed vim mutentur gratia formae.

Ita H: *vituperas, sed ut hic* B. At *hic* positum esse tantum metri ut normam compleret patet, quoniam pro intellectu abundat. Quae Ri. proposuit nullam in traditis habet subsidium *(cernis nitent qu e gr. f.)*. At facili opera versum intelleges si mecum scripseris *uti* pro *uim*, scil. ita: *Vituperas, et uti mutetur gratia formae. Uti* enim positum pro *ut*: *et* pro *s:d* corruptum exhibet cod. et in v. 92: quod eo facilius fieri hic potuit, quod antecedit vox in *s* desinens.

V. 248 *A (Ac* Hb) [2]) *nitidas animis (animus* Hb) H, *Tu nisi das* B. *A (Ac)* potius ex *Ah* corruptum est, quae exclamatio optime accommodata est huic loco. Scribo propterea: *Ah, nisi das animos.*

v. 249 Iussisti mandasti iam possum expromere Musa. H

Metro claudicanti B succurrit scribendo: *Iussisti mandans*, quam coniecturam retractans idem in PLM secutus est Ro. qui *iussisti* e glossa ortum contendens huic voci *robora* substituit. Alia Ri.: *at quod*, Ellis *tu si*. Attamen nihil est quod longius quaeras: *iussisti* ad *mandasti* scribarum negligentia simile esse effectum vel vice versa *mandasti* ad *iussisti* luce clarius patet: levissima ergo mutatione scribes: *iussis mandasti*: quem verborum pleonasmum poeta aliis quoque novit versibus, ut 52. 116. 164.

---

[1]) Quidni scribendum: *traxit dura <ah!> suspiria corde?* cf. Lucan. IV 328 *rescissoque nocent suspiria dura palato.* G

[2]) V. 240—260 per scribae errorem bis scriptos in H monuimus supra: Hb priorem nobis scripturam signat.

v. 260 Denique defessos artus ac membra calore
Mollitur gestare victusque virorum,

Haec H: *mollitur, gestare <nequit>, victumque ciborum* B, qua coniectura probata admittitur hic satis durus acc. graecus: *nequit*, i. q. *potest*, refertur ad solum *gestare*, nullo vero modo ad *victum*. Meliuscule idem correxit Ellis addens ex v. 136 *negat*: cuius insistens vestigiis haec propono leg.:

Denique defessos artus ac membra calore
Mollitur gestare <negans>, victusque furore
Solvitur infelix etc.

i. q. *denique mollitur*, i. e. effeminatur penitus, debilis redditur, *gestare non valens defessos calore artus ac membra, et demum victus*, i. e. oppressus ac superatus, *furore* amoris *solvitur*, relaxatur, *fusus per tota cubilia*, quo summum aegri languorem poeta depingit.

In defixionum tabellas.

Audollent DT num. 111, 5 leg.: *Nocuit sic neque illo si comodi. Illo* est dat. sing. pro *illi*, quamvis hic plur. exspectaveris; *si* vero est *sit*, cf. v. 3. 12 *sin(t); comodi* scriptum pro *quidquam commodi; mo* hic ponendum esse ex simili efficitur exemplo 112, 1 *aver^{ses}; m* omissum cernis et 221.

Ibd. 252, 25 et 253, 35 leg.: [.] Ζῆν ὅ[πα]τος. 252. 31 ἐξέλ-θες = ἐξέλθῃ εἰς: v. 45 latinum esse puto, fort.: *il<λ>a contrahes. cunctante<m> vos facite Sapautulum omn[em]*. Finem defixionis ab Audollent male intellectum puto, scil. v. 43—44 femina dicit quando defixionem fecerit: *feci lunae...*; *in omni momento* graecum ἤδη latine reddit.

R. Wünsch nonnullas quae Treveris repertae sunt defixiones minus bene interpretatus est (Bonner Jahrb. 1910), ut num. 24 ubi initio INABINTIAROVESTRO deum aliquem dictum suspicabatur: verum qui cum vix ac vix quidem *vester* dici potuerit, autumo leg.: *in abitatorio* (=habitatorio) *vestro*.

Philologos nimis adhuc praeconceptis deditos esse opinionibus duobus exempiis demonstrabo. Inter laminas litteratas amphitheatri Treverici reperta est lamina argentea (Wünsch l. c. num. 31), ad quam explicandam Wünsch haec dicit: „Mit diesem Metall verbanden die Alten eine bestimmte Vorstellung: wie das Blei Unsegen bringt, so wehrt das Silber Unsegen ab. Silbertafeln werden von den Zauberpapyri für Amulette vorgeschrieben... Wir werden daher auch diese silbernen Täfelchen als Amulette ansprechen dürfen, auch wenn der Text uns das nicht ausdrücklich sagt." At laminam sine ullo dubio esse defixionem — eamque latinam, non celtice scriptam

— facili opera demonstrari potest: v. 4 *santnedia dekigo | [Ro]danum quen peperit | Anula Regula:* item v. 10 *Bonarium ..ekigo,* quae leg. sunt: *sant<.> Nedia, defigo Rodanum* etc., v. 10 *[d]efigo: F* enim littera. quam Wünsch *K* esse putavit, ibi scripta est $|^{x}$ ut et alibi v. gr. in speculo (Beiblatt des Jahrb. Oesterr. Arch. Instituts p. 119).

At testa num. 32, quam Wünsch ob materiae vilitatem defixionem declaravit, reapse est amuletum (cf. testam cui Pater noster inscriptum, Zeitschr. f. neutest. Wiss. II 228: „Das Stück diente als Zaubertext zum Haussegen"; R. Reitzenstein, Zwei religionsgeschichtliche Fragen, Strassburg 1901 in testa orationem ad Mariam scriptam esse tradit), cf. imaginem tab. III 4:

S. N. ☧
XC. DUDOS. I [C]

i. e. *S(erva) N(os)* + *X(ριστο)C tutos I(ησου)C.*

Num. 24 Wünsch Baal Semitarum deum invocatum esse putavit: [.] SIBALEOQOIRM. SP. DM. EUS.. i. e. *si baleo qo irm. s. p. d. m. eus.. (= si valeo,* h. e. si mihi est potestas, *quod* (optativum) *<f>irm(iter) s(it) p(ositus),* h. e. traditus in potestatem, *D(is) M(anibus) Eus(ebius):* ibd. pro PEPOSTUM (= depositum, Wünsch) legatur REPOSTUM.

Num. 18 legas: *Ursus Icilius — neca nue*: quid *nue* sit nescio, nisi hic quoque vulgatissima formula: *neca nomen* (v. gr. CIL XIII 7555 III) legenda sit; *nue* enim a dextra in sinistram *(=eum)* legendum esse non facile crediderim.

Singulari linguarum dono praeditus sit necesse est, qui Audollent DT 114 sq. interpretandas sibi sumpserit, quae quidem latine scriptae esse videntur. 114, 1 *tasnis* idem esse videtur quod 119, 1 *saanis*, 118, 3 *sonis*: 114, 1 *kat* = 116, 2 *kas* (lat. *quas?);* ergo 114 fort. legendum: *Kan Tasnis, kas rogamos et depetamu<s>,* et 119 *D. O. M. Saanis, kas rogamos et de<pe>tamus* 115 *Ni Casqui, te rogamus.* 114, 3 *kios= quos* (cf. 115, *nu quai* et 114, 9 *nuki):* ita tentaverim leg.: *kios ot saua te no n lera no et deu neso* etc. = *quos et salva tu nos et libera nos et dele* etc.: *l* ante consonantes vel omissa vel in *u* transisse docet aliis exemplis Skutsch, Kl. Schr. 385 sq.

R. G.

DE IGNATII AD ROMANOS EPISTOLA

scripsit

VINCENTIUS ŚMIAŁEK.

Ex omnibus quae ad Ignatium pertinent quaestionibus epistola eius ad Romanos data singulari quodam colore eminet. Unum namque tractat argumentum idque ad ipsam pertinens personam, deinde non movet quaestiones ad fidem aut hierarchiam pertinentes quales in aliis iisque genuinis Ignatii epistolis disputatas invenias; praeterea ea quae continet ad temporis indolem historiaeque fidem accurate quadrant; denique ipsam hanc singularitatem codices servati confirmare videntur qui hanc epistolam ab aliis separatam tradunt. Ut brevibus dicam, nostro iure hanc epistolam a ceteris quae Ignatius scripsit seiunctam tractare nobis licet.

Multis quidem disceptantibus quaenam Ignatii epistolae genuinae essent, scias Renanium hanc unam ex omnibus Ignatii epistolis genuinam censuisse. Attamen non haec nobis res disputabitur: locus enim quem inimicus minime aggreditur, omnium optimus esse potest, unde quasi ex specula quadam innumeras fere cum Ignatio quaestiones conexas oculis collustres, et quo modo locus impugnatus defendi queat commode ostendas.

Atqui primum vinculum quod nodo quodam firmissimo singulas epistolae partes nectit idem contentorum est tenor. Episcopus enim Antiochenus capitis damnatus non meditatur nisi quomodo quam celerrime haec corporis vincula relinquat hocque cogitatum variis modis exprimit. Non ludit oratoriis in artificiis, sed quod intimo pectore deum suum gestiens sensit, tam vere quam grave edicit. Neque quod videri possit, iactat se martyrem futurum, id quod saepius apud Africanos Montani doctrina infectos animadvertas — immo desideratissimum portum appellere cupit, postquam vitae ambages atque errores ex iudicis sententia finire necesse est.

Quid enim Romanis scribit? En vitae se tangere terminum, si Romani extremo temporis momento eum non avertant: utinam haec ne faciant! Potius fusis ad deum precibus se adiuvent, ut moriens confessor fiat dignus eo cui vivens servierit. Libenter bestiis pabulum se proici pati, cum mutuo Christum possidendum accipiat: propterea hanc mortem vitae omnibus voluptatibus instructae praeferendam se ducere. Nullam se novisse vitam nisi in solo deo: cui ne inviderint. Ex iis iam pendere, utrum moriatur Christumque possideat an sine Christo vivere ipsi contingat.

Quod si persuasionis ardor ac fervor non accessisset idque ipso ante mortem tempore quo iam rerum terrenarum splendores eo magis evanescunt, quo clarius vitae finis prae oculis versatur, continua haec cogitatorum repetitio fessos sane nos redderet.

Attamen ardor ex uno quoque fere verbo emicans atque erumpens non languidi prae se fert speciem doloris tendentis ad novi quidpiam atque ignoti illius *nouveau au fond de l'Inconnu*, quod nostrae aetatis poeta dixit, sed potius imaginem repraesentat hominis qui littora quae iamiam attingit avida manu prehendit et timet ne suus lintriculus a fluctibus abreptus rursus in immensum mare referatur. Cum aliis ecclesiis Asianis pro testamento mandet et imperet, Romanos, in fide christiana confirmatos a Paulo et Petro apostolis, quorum alibi in eadem meminit epistola, verbo διατάσσεσθαι adhibito — quasi excludens, quod ad Asianorum exemplum haereticis ac novitatum sectatoribus fidem adhibeant — solummodo orat, ne capitis sententiam in se latam irritam faciant. Immo exceptum illis locum tribuit his verbis: ἄλλους ἐδιδάξατε quae suspicionem movent e Roma doctrinam esse propagatam quam et ipse cupiat amplecti non verbo tantum, verum et facto, id quod ideae christianae cumulum censet. In Romanos Ignatius cautus est ac moderatus, quasi non opus eis esset sua doctrina aut alium haberent magistrum: in eos solas adhibet preces, ut rationem ipsius habentes minime se a Christo separent, quem iamiam sit possessurus neque se ipsos fraudentur facto digno ipsorum nomine. Quo colore haec epistola ab aliis diversa quemvis benevolum lectorem in admirationem inducat necesse est: auctoritatis enim vox, quam aliis ecclesiis imperitantem audivimus, hic conticescit et ad precis formam descendit altiora iam petens ac flagrans. Quae tenoris diversitas diligentem lectorem inducit ut nolit velit hierarchiae aliarum epistolarum vestigia, quae quidem adversariis opponendi ansam praebuerunt, neque ab hac epistola aliena esse concludat. Sed haec per transennam sint dicta, cum ad aliud pertineant caput.

Videamus nunc quomodo ea quam epistola repraesentat imago aetati cui adscribitur quadret. Domitiani tyrannis lassitudinis vestigia animis firmius impressit, quamquam Tacitus (Agr. 3) dicit: *Nunc redit animus*. Post brevia Nervae regna Traianus imperium ad pristinum robur reducere conatur: imperii fines stabilit ac roborat, ubicunque infirmos conspexit, praecipue septentrionales et orientales: civiumque vires in unum colligit ac disponit. Contra christianos tantum sibi bellum gerendum putabit, quantum Romani illos huic caesaris consilio refragari censuerint. Neque de persecutionibus Traiani tempore factis quidquam memoratur — in Asia tantum martyrii sortem obierunt duo, scil. Symeon episcopus Hierosolymitanus, senex 120 annorum, et noster Ignatius, episcopus Antiochenus, Romam missus ut bestiis traderetur. Unde facile conicias caesares Romanos ei Asiae, quae Romae Domitianinae tyrannidi per visiones revelatrices minari est ausa, minime credidisse: ceterum memoria gravium quamquam victorum cum Iudaeis certaminum nondum abolita erat. Triumphi auctoritatem Romani tutantes ipsam resistentiae umbram compescebant ac reprimebant neque absona videtur suspicio hanc ob causam ecclesiae caput primae in Asia urbis in amphitheatrum a captivis Asiaticis exstructum missum esse,

ut timor resistentium ac metus adaugerentur. Ceterum qualem se Traianus christianis praebuerit, optime ex eius scimus epistola data ad Plinium, qui tum erat proconsul Bithyniae: scil. vetat eos exquiri, at in accusatos inquiri et animadverti iubet: quorum in numero Ignatius erat. Factionum vero capita vulgo Romae esse punita iampridem usu venisse demonstrari potest: scit carcer Mamertinus quae loquimur. Nova praeterea circi arena maximos quosque gladiatorum ac bestiarum aemulos provocavit et allexit: quinimmo nostratem bisontem ad celebranda inaugurationis festa per dies 100 acta accersitum audimus. Tot extremis ex provinciis bestiae apportabantur Romam, ut Antonino et Septimio Severo regnantibus ea enumerarentur edictis quae sola admitterentur (Dig. XLVIII 19, 31): „Si eius roboris vel artificii sint, ut digne populo Romano exhiberi possint."

Attamen ineunte saeculo secundo, viginti annis post amphitheatrum exstructum nullum edictum tales statuit prohibitiones. Ignatius certo nec viribus neque artificiis excellebat: nihilo secius animos movere potuit ut episcopus primariae urbis Graecosemiticae. Forsitan ipse aperuit certaminum extremi orientis seriem, qualem alium quoque Syrum, nimirum Telemachum eremitam in ludis triumphalibus Honorii a. 404 factis sui ipsius caede clausisse novimus. In dies enim magis magisque curiosos animorum sensus movebat Asia, quae eodem saeculo exeunte Romam subiugavit ipsumque caesarum thronum occupans in Heliogabali persona dedecoravit.

Cultus qualem ex epistola cognoscere licet, ei tempori concordare videtur. In epistolis hominis hunc mundi orbem iamiam deserturi intentique aliorsum pulsus quosdam subaudias vitae qua illud caput Graecosyrium fervebat. *„Nihili huius mundi gaudia pendo, nihili honores ac potestatem"* (VI 1). *„Non in vitae voluptatibus meum est desiderium"* (VII 3). *„In cassum laborat ac nititur huius saeculi daemon, ut a meta me avertat"* (VII 1). Sed et praeter fidam hanc corporis cultus imaginem illius aetatis mores atque animos percipias. Non longe scilicet aberat Apamea, ubi Posidonius natus propinquam Rhodum suis studiis illustravit. Systema eius Stoicum de mundi machina, qualem nunc Reinhardt nobis exposuit, in Ignatii resonat verbis, apud quem κόσμος viresque elementorum vitales tam macrocosmi quam microcosmi deflexae christianum induunt colorem. Maxime hoc elucet in verbis saepissime laudatis: „amor meus crucifixus" vel ut exemplar sonat (VII 2): ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἐμοὶ πῦρ φιλόϋλον. Origenes ἔρωτα Christum intellexit quae explicatio minime quadrat sententiae, cum ea quae subsequuntur verba plane neglegat. Ex ipsa vero sententia eliciendum verba ὁ ἐμὸς ἔρως dicta esse ad desideriorum terrenorum summam designandam itaque per oppositum coniuncta esse cum iis quae praecedunt: cetera quae sequuntur non sunt nisi huius amoris explicatio, scil. conceptus πῦρ φιλόϋλον et ὕδωρ ζῶν καὶ λαλοῦν. Eadem enim δύναμις ζωτικὴ revelatur in eo quod agere nititur, quod affirmat (III 3) οὐ πεισμονῆς τὸ ἔργον,

ἀλλὰ μεγέθους ἐστὶν ὁ χριστιανισμός, nimirum christianum cognosci ex ipsius actibus qui persuasionem manifestent. Ab huius mundi labe ac naevis purgatum se sciens, iam non curat (II 1) ἀνθρωπαρεσκῆσαι neque animos quosdam humanos movere: in hac absoluta vitae qualitate ex Stoicorum definitionibus haurit, ut cum Romanos suo nomine salutat, ad se ipsum designandum vocem (IX 3) τὸ ἐμὸν πνεῦμα adhibet.

In Ignatii dicendi modum inquirens primo statim obtutu in epistola, quamquam auctor quicquid in buccam venerit loqui se simulet, et philosophiam et rhetoricam magnam partem occupare vides. Frequens enim ludus verborum, significationum, translationum, oppositorum, ethopoeiae illam iam indicant urbem futuram quae Libanium et Chrysostomum ederet. Quod ut demonstremus sufficit afferre e. gr. λόγος θεοῦ et φωνή (pro quo Zahn Curetonem secutus ἠχώ leg. proposuit) „dei verbum intellectu plenum et sonitus inanis" i. q. voluntatis divinae nuntius et nihil; δῦναι πρὸς κόσμον et ἀνατέλλειν εἰς θεόν comparata cum δύσις et ἀνατολή (II 2) ut mundi partibus, in quibus damnati iter viae ad deum conducentis exemplum repraesentat: βασκάνειν et διδάσκειν scil. invidiose praestigiari oculos et benevole ad veritatis lucem aperire: i. q. delirum reddere et manu ducere; σῖτος θεοῦ (IV 1) — Ignatius utpote granum divinum moli panisque Christi effici desiderat; ὁ τοκετός (VI 1) — idem dolor ut ad aeternam perveniat vitam per martyrium quo temporalem vitam parturientes afficiuntur; ἔρως ἐσταύρωται (VII 2) — desideriorum enecatorum imago, reddita vitae ratio, qualem quisque ex iudicis sententia damnatus vitaeque valefaciens dare consuevit; μηδὲν τῶν ὁρατῶν καὶ ἀοράτων (V 3) — nulla vis neque potestas quam imaginari licet; ἔσχατος καὶ ἔκτρωμα (IX 2) — nihil omnino si cum eo quod donabit martyrium contuleris.

Cultus profani fundamenta permeat suumque illis colorem impertit evangeliorum doctrina, qualem Petrus, Paulus, Barnabas seminaverant aliique viri apostolici studiosissima cura excoluerant, ut Ignatius, qui fuit primus vel — si aliam secutus relationem Evodium primum constitueris — secundus a Petro successor in episcopio Antiochiae, Syriae capitis. Incertiuscula traditio ipsum Iohannis apostoli discipulum fuisse affirmat una cum Polycarpo. Quae fama adscribenda videtur facto quod Ignatii epistolae — non excepta ad Romanos — plurima prodant vestigia scriptorum Iohannis, qui quidem omnium apostolorum diutissime ecclesiis Asiaticis doctorem se praestitit ex Epheso, quae hac ratione ultimus evasit fons ex qua perpetuus vivus doctrinae apostolicae latex emanabat. Iam Antiochenam inter ecclesiam et Ephesiam firmissimum amoris vinculum ac commercii extitisse testis est Burrus diaconus, quem Ephesii Ignatium comitari voluerunt, testes et legati qui Ignatium Smyrnae salutarent, ipsa deinde Ignatii epistola ad Ephesios data qua grates agit, denique epistola ad Romanos Croco Ephesio ut trans mare eam perferat credita: in qua epistola praeter Paulina plurima Iohannea resonare animadvertas.

Initio dissertationis hanc epistolam non argumento tantum, verum et librorum manuscriptorum fide a ceteris Ignatii epistolis segregari diximus. Medio enim aevo eius epistolae una cum ceteris legerunt priorem quam dicunt recensionem longiorem, quam editionem sciolus aliquis epistolarum interpolator saec. V apparaverat. Postquam genuinus textus, quam recensionem dicunt breviorem, aliarum sex epistolarum e Latina innotuit versione, quam codices tradunt manuscripti Montecutianus et Caiensis (Cantabrigianus) primumque Usher publici iuris fecit a. 1644, et tandem ex textu Graeco cod. Medicei saec. XI edito ab Isaaco Vossio a. 1646, sola ad Romanos epistola exspectavit editorem Theodoricum Ruinart, qui eam ex cod. Colbertino 460 saec. XI, qui nunc est Parisinus 1451, in „Actis primorum martyrum sinceris" a. 1689 protulit. Deinde a. 1845 Cureton orientales edidit epistolarum versiones, scil. Syriam medii saec. IV, quam iam Ephraem († 373) noverat, et quae ex hac prodiit Armeniam saec. V. Priori ut fere fieri solet statim postquam innotuit iusto plus tribuebant: at diligentiora post studia demonstraverunt eam non esse nisi epitomen recensionis quam dicunt breviorem pro sola aedificatione confectam, minime vero pro textu constituendo neglegendam, cum optimo usa sit codice Graeco. Iam quod epistola ad Romanos a ceteris epistolis separata sit in libris tradita, ego quidem non solo casu, scil. quod prima epistolarum collectio hanc epistolam non continuisset, id quod putat Krüger (Geschichte d. altchristl. Literatur p. 20), sed potius ipsius tenore diversissimo, qui viri poenam capitalem subituri animos repraesentat effectum censeo. Quam sententiam confirmare videntur libri manuscripti, qui hanc epistolam tradunt in martyrio Colbertino, quod Lightfoot etiam dicit „Antiochenum" eam ob causam, quod narrationis initium, scil. usque ad sententiam latam, Antiochiae collocata sit: ut pars integra rerum gestarum seriei implexa, quam amphitheatrum Flavianum clauderet, sua auctoritate ipsius martyrii fidem tuetur, quod recentiores non genuinum esse censent, verum quod sine dubio genuinas tradit res gestas, quamquam non omnino caret labe colorum atque ornamentorum a quodam christiano proprio Marte excogitatorum. Ipsum ergo Ignatium martyrium subisse Traiano regnante dubitare non licet: hoc tempus indicat Eusebius HE III 36, idemque recentiores accipiunt. Harnack, qui olim maluit tempora Hadriani aut Antonini Pii (Die Zeit d. Ignatius 1876), postea hanc deseruit opinionem (Geschichte d. altchr. Litteratur II 1, 386). Attamen martyrio Colbertino indicante mortis annum Traiani imperatoris nonum — spatium ergo temporis a. d. VII kal. Februarias a. 106 usque ad d. VII kal. Februarias a. 107, quem annum multi receperunt coniungentes cum secundo L. Licinii Surae et Q. Sosii Senecionis consulatu, quamquam tum Sura erat consul tertium, Senecio quartum — alii maluerunt a. 108, 109, 112, plurimi vero a. 114—116. Ipsa haec sententiarum diversitas annum minus curandum esse ostendit potiusque insistendum esse notitiae ab Eusebio traditae

qui solum Traiani regnum in universum indicat, quamquam idem in Chronicis annum tradit nonum, sed ut minus certum. Ut indefinitum tempus accipiamus, suadent et ea quae si martyrio non ante saec. V compilato credas, Ignatii damnationem comitata sunt. Ipse nimirum Traianus sententiam tulerit, qui tum Antiochiae fuisset in Parthos castra moturus. At certo scimus Traianum in Asiam profectum esse a. 113 ibique bello cum Armeniis Parthisque facto mansisse usque ad a. 116, quo demum valetudine infirma affectum et propterea Romam redeuntem mors in Cilicia a. 117 occupaverit. Alterum eius Antiochiam adventum nescimus neque rerum gestarum ordo verisimiliter admittit. Ipso enim anno martyrio indicato Traianus Antiochiae certissime esse non potuit, quia tum occupatus erat bello cum Decebalo gerendo, qui usque ad Parthos societatis atque auxilii quaerendi causa confugerat. Quae tum in Asia egit, ut — quae a. 106 accidit — Nabataeorum regni in Arabiam provinciam commutationem, per Cornelium Palmam proconsulem Syriae fecit: ipse Antiochiae non erat neque indicari possunt vestigia quod tum Parthorum res sibi cordi fuerint. Ceterum etiamsi id concederetur, tempus certo minime aptum erat, ut caesar cum christiano disputationes ineptas ageret, cum bellum Parthicum, i. e. maximum, ei erat parandum. Martyrio teste caesar cum episcopo hunc dialogum habuerit„: Quis es, o cacodaemon, qui nostra mandata transgredi eniteris? Quin etiam aliis ut idem agant suades, quo nempe miseri pereant." — „Nemo Theophorum cacodaemonem appellat: abscedunt enim daemones a servis dei. Si vero quod gravis illis sum, et me malum adversus daemonas appellas, illud tecum fateor. Christum enim, qui caelestis rex est, habens illorum insidias dissolvo". — „Et quis est Theophorus?" — „Qui Christum habet in pectore." — „An igitur tibi videmur deos in mente non habere, quibus etiam propugnatoribus adversus homines utimur?" — „Gentium daemonas deos errans appellas. Unus enim est deus, qui fecit caelum et terram et mare et omnia quae in ipsis continentur, atque unus est Christus Iesus, filius dei unigenitus, cuius regno utinam potiar." — „Illum dicis qui sub Pontio Pilato crucifixus est?" — „Illum dico qui meum peccatum cum suo inventore crucifixit omnemque daemoniacum errorem et malitiam illorum pedibus sua sententia subiecit, qui ipsum in corde gerunt." — „Tu ergo in te ipsum crucifixum geris?" — „Etiam. Scriptum est enim: Inhabitabo in ipsis et inambulabo." Traianus sententiam pronuntiavit: „Ignatium qui in se ipso crucifixum ferre dicit, praecipimus vinctum a militibus duci in magnam Romam, cibum bestiarum ad populi delectationem futurum." Hunc dialogum Ignatii concludit gratiarum actio, quod sibi sit concessum Pauli apostoli premere vestigia, id quod in martyrii narratione recurrit.

Cuius iudicii scaenae fingendae ansam praebuit, ni fallor, originatio vocis θεοφόρος, non rarae quidem in liturgia orientali: ex Stoicorum de deo ut vi mundum permeante doctrina origo eius petenda est: eodem pertinent quae in epistola ad Magnesios 14

habentur: θεοῦ γέμετε neque mirum si in didascalia Syria unum quemque martyrem divino spiritu indutum legis. In actis martyrum saepe occurrit vox χριστοφόρος, quam vocem allatum supra martyrii fragmentum ipsum Traianum intellegere iubet ut θεοφόρος. Funk quidem et Lelong hanc vocem nomen esse proprium contendunt quod ad Ignatium accedat, ad instar sacratae formulae Σαῦλος ὁ καὶ Παῦλος; at huic opinioni renititur quod postea manifesto sit appellativum, cum semasiologia contrarium potius admittat progressum. Ceterum haec opinio infirmatur eo quod ipse Ignatius voce ut appellativa utitur in epistola ad Ephesios, in translatione quidem, qua de nobis adhuc dicetur. Attamen priscis iam temporibus ad Ignatii nomen accessit ideoque et olim obliti sunt eius originationis quae adhuc ipsa Ignatii aetate sciebatur, id quod efficitur ex Epicteti manuali II 8, 12 θεὸν περιφέρεις... ἐν σαυτῷ φέρεις αὐτόν. Photii aetate adversarium eius ac victimam Ignatium patriarcham dicebant νέον Θεόφορον. Eodem fere tempore in oriente novam fabulam hoc cum nomine coniungebant, quae potius rumor est apud legatum papalem synodique octavae editorem Anastasium; at non ita multo post Symeon Metaphrastes, martyriorum auctor ac vitarum sanctorum, idem narrat ut rem gestam, scil. infantem quem Christus (Mt 18, 4) apostolis quis eorum primus esset disputantibus monstraverit ut exemplum regni caelorum merendi, fuisse Ignatium. Quam qui fabulam sequuntur accentum qui erat in paenultima transferentes scribunt Θεόφορος, ut secundum scholiastam in Homerum activum mutent in passivum, ut intellectus sit: „A deo gestatus." Medio aevo alia praeterea prodierunt veriloquia ac fabulae: Vincentius Bellovacensis (Speculum historiale X 57) tradit in ipso Ignatii corde aperto inventa esse elementa aurea efficientia verba: Iesus Christus.

Ad dialogi commentum pangendum conferebat et vox κακοδαίμων qua Proteum donat Lucianus, De morte Peregrini, quo et confirmatur eius qua martyrii acta confecta essent aetatis homines in Luciani narratiuncula Ignatianae historiae vidisse imaginem: in doctrina de daemonibus tunc magis exculta invenerunt quae Ignatium Traiano maledicenti replicantem facerent. Similiter hagiographus Blasium Cappadocem pro procuratoris tribunali disputantem fingit: ipsa haec similitudo docet nos cavere ne sententiam ab ipso imperatore latam existimemus et indicat sententiam potuisse rescindi id quod ne fiat Ignatius timet. Ceterum ne minimum quidem huius rei indicium in ipsis invenimus epistolis: nec Traianus hanc sententiam ferre potuit, qui tum temporis Antiochiae non fuit. Dacos enim debellans, quod et martyrium memorat, Danubii regiones non relinquebat. Luculentissime idem testatur, id quod nondum cum quaestione Ignatiana coniunxerant docti, monumentum Adamklissense in meridianis a Danubio partibus a. 109 exstructum, Tropaeum Traiani, easdem celebrans victorias ac Romae columna Traiana quae a. 113 erecta est. Ex horum monumentorum artis diversitate et ex diligenti artificiorum consideratione tropaei

Furtwängler id Augusti temporibus autumavit confectum, cui postea inscriptio in tabula utpote vacua addita esset: attamen Benndorfii opinionem non evertit, cuius interpretationem monumenti, in operis societatem Tocilesco et Niemanno adsumptis, Vindobonae 1895 editam omnes nunc verissimam esse agnoverunt. Neque nova eam refutavit explicatio a W. Jänecke (Die ursprüngliche Gestalt des Tropaion von Adamklissi, in Heidelberger Sitzungsb. 1919 nr. 20) proposita qui mediam turrim ipsum tropaeum lapideum sustinentem Augusti legato Licinio Crasso a. 28 a. Chr. n. adscribendum censuit, at vallum id circumdans et inscriptionem Traiano. Ne Furtwängler quidem has aedificii diversitates percepit: Studniczka vero ornamentorum formas Traiani aetati minime contradicere docuit. Tropaeum cum columna conferentes iure merito dixerunt tropaeum bellicam esse relationem a milite factam, columnam vero chronica ab historiographo aulico compilata. Nova luce monumentum est illustratum ruina prope sita, in cuius parietibus plurima nomina legebantur, vallisque ita dictis Traianis, quae tres horas in septentrionis partem a vico Adamklissi remota in longitudinem 60—70 km iuxta Danubium usque ad Pontum Euxinum extenduntur. Posteriora namque virorum doctorum studia prius monumentum militum sepulcrale (πολυάνδριον) esse demonstrarunt, cenotaphium scil. honoris causa exstructum. Valla autem sunt tria: ex quibus unum pertinet ad aetatem ante Romanorum adventum, alterum ad saec. IV p. Chr. n., tertium vero est agger cum fossa et triginta castellis, quae ut rite defenderentur viginti fere milia militum exposcebant: ergo non est limes, sed potius ad militum pertinet munitiones, quarum centrum fuerit Adamklissi abhinc 25 km situm. Ipsa valli directio luce clarius indicat id contra populos in solitudinibus silvisque degentes, puta Roxolanos habitantes ad Danubium inferiorem perpetimque Moesiam minitantes, factum esse. Hieme a. 106/107 propter cristallinam fluminis superficiem Romani eorum impetum exspectabant: contra eos igitur Traianus exercitum parabat et quoniam ad proelium non deventum est, milites ne desidia conficerentur — nam „cum omnibus artibus, tum praecipue rei militari desidia noxia est“ (Fronto p. 106) — munitiones contra Dacos aliosque labores huc pertinentes exsequi iussit: quamquam procul ab ipsa certaminum area in Transilvania sita, non ab re erat tumulo occisos honorare et tropaeum in confinibus propiorum ac remotiorum erigere vicinorum, qui avide ac petulanter Romanas provincias suas esse desiderabant. Iam monumentum hoc non cum Romae urbis artis norma, sed cum ea quam ex tumulis provincialibus novimus conferre nos oportet. Sine dubio ipsi milites, lapidariis fortasse loci illius in auxilium adsumptis, monumentum construxerunt: quo formae diversitates explicantur singulariumque mediocris executio et schematica, quae tamen admittebat colores illis locis usitatos artificiorumque varietates. Traianus vero non exspectans finalem eius executionem cum exercitu inde profectus est, postquam relictis in munitione subsidiis labores circa monu-

mentum curare praecepit. Iam sequentibus annis non solum provincias bello captas in ordinem redigens coloniis ex Asia ductis firmabat, sed etiam contiguam Thraciam pacabat, ubi Decebalo viam praeclusserat: Africa, Italia eius sedulas curas expertae sunt, praecipue vero Roma, ubi plurima aedificia exstrui curavit per ingeniosum Apollodorum Damascenum, qui eo ipso tempore parte Quirinalis declivi ablata pulcherrimo foro magna cum area et caesaris monumento, cum Basilica Ulpia, Bibliotheca Graeca et Latina locum paravit: at inter utramque erecta est columna quae gesta celebrat Traiani, cuius cineres in eius fundamento deponendi a. 117 ibi in aurea urna conditi sunt, cuius vero statua ingens exornabat culmen. Altitudine sua columna revocabat in memoriam immensum laborem in ea exstruenda insumptum, cum, ut fundamenti inscriptio nos docet, erat columna „ad indicandum, quantae altitudinis mons et locus tantis operibus sit egestus." Suppetebat locus et ad templum divi Traiani ab Hadriano successore aedificatum. Fortasse haec aedificiorum monumentorumque immanitas plurimum effecit, ut Traiani nomen a posteris quoque coleretur aevis et ea exornaretur maiestate, quae caesaribus Byzantinis exemplo erat. Legimus et fabulam narrantem Gregorium papam viso hoc foro Traiani virtutes admirantem, ut Traianus ab inferorum poenis salvaretur, a deo petiisse et impetrasse: novit hoc Dantes qui caesarem in paradiso collocavit.

Quod ut Traianus efficeret, opus ei erat tempore. Mireris sane fortunae casum quo inscriptio supra laudata eodem sit anno facta quo Traianus in Parthos castra moverit. Autumno enim a. 113 Antiochia ipsum excepit, unde duobus annis qui sequuntur victor imperii Romani fines ultra Euphraten extendens novas provincias Mesopotamiam, Assyriam, Babyloniam creavit. Haec quidem facta novit historia, cuius vocem repercussam martyrium collegit, ut Ignatium cum Traiano congredientem fingeret.

At veriora disces ex itinerario quod secutus Ignatius Romam festinavit, cuiusque epistolam ad Romanos quandam stationum partem aut interpellationem dicas. Hoc iter non solum auctor saec. V martyrii historiae implicuit, sed et saec. X Symeon Metaphrastes. Sed concinnitatem testium, inter quos habes Irenaeum, Origenem inque primis Eusebium, unus Iohannes Malalas, auctor saec. VI, interpellare videtur qui Chronogr. VI p. 276 refert Ignatium facto a. 115 Antiochiae terrae motu mortem obisse. Quae notitia cum ex factis nominibusque commutatis conflata sit, nostrum non tangit Ignatium, praesertim cum cetera omnia testimonia audias contraria: Iohannes Chrysostomus, Antiochenus et ipse, duobus post saeculis aperte eum dicit martyrem coram populo (Hom. in s. Ignat. 4 ed. Bened. II 597), qui sine dubio traditionem de Romano Ignatii martyrio fideliter servabat. Nemo hac de re nunc iam ambigit, quamquam fuerunt qui ut epistolas genuinas non esse demonstrarent, hac notitia usi sunt: recentiores de solo itinere quo Ignatius usus Romam tetenderit varias proferunt opi-

niones. Si martyrio credas, Ignatius Seleuciae qui erat Antiochenorum portus conscendit navem et Smyrnam appulit, unde per Troada, Neapolim Thraciam, ipsamque Thraciam, Macedoniam, Illyricum via Egnatia pervenit Epidamnum: ibi iterum navem scandens ad Ostia Tiberina advectus, unde ad amphitheatrum perductus est. Quod iter si tecum reputaveris, Ignatium de laboribus terra marique perpessis custodumque nequitia adauctis suo iure conquestum esse intelleges (Rom. V 1): Ἀπὸ Συρίας μέχρι Ῥώμης θηριομαχῶ διὰ γῆς καὶ θαλάσσης. Quae querela cum in epistola Smyrnae scripta ex eius ore excidit, plurimi nunc inde concludunt milites Ignatium Seleuciae in navi collocasse, sed iam in Cilicia aut Pamphylia nave relicta tramitibus montium cautibus obsitis eum traxisse, ut quam plurimis malis damnatum afficerent. Ipsos nimirum antiquos testes hanc tueri opinionem affirmant praecipueque Eusebium HE III 36, 4: καὶ δὴ τὴν δι' Ἀσίας ἀνακομιδὴν μετ' ἐπιμελεστάτης φρουρᾶς φυλακῆς ποιούμενος τὰς κατὰ πόλιν αἷς ἐπεδήμει παροικίας ταῖς διὰ λόγων ὁμιλίαις τε καὶ προτροπαῖς ἐπιρρωννύς etc. Attamen haec verba aliam quoque admittunt explicationem: Ignatium enim affirmant per Asiam proficiscentem urbium, ubi constitisset, incolas monuisse ac docuisse, in quo praeterea verba: δι' Ἀσίας ἀνακομιδὴν ποιούμενος minime qua proficisci posset iter marinum excludunt neque alia αἱ κατὰ πόλιν αἷς ἐπεδήμει παροικίαι huic refragantur opinioni hoc unum testantia Ignatium quocunque venerit illius regionis incolas instituisse. Eusebius namque qui minus curat iter describendum quam christianorum devotionem manifestandam, in primis de Smyrna cogitavit, quo oppidorum Lydiorum ecclesiarumque legati confluebant, ubi in quieto placidoque portu comitatus moram faciebat. Ita Eusebium interpretatus est qui primus eius historiam latine reddidit Rufinus hoc loco ita dicens: „Quique cum per Asiam sub custodia navigasset, singulas quasque digrediens civitates, ecclesiae populos variis exhortationibus edocebat." Ipse Ignatius ecclesias se excepisse dicit (Rom. IX 3) οὐχ ὡς παροδεύοντα hisque indicat verbis iter praeter eos factum esse.

Alterum vero testimonium Ignatium in ipsa Asia non mari, sed terra profectum esse, epistolam ad Philadelphinos dare contenderunt: quae multis implicita obscuritatibus magnam partem ad nostram facit quaestionem, sed eam minime dirimit. Id enim epistola ante omnia intendit, ut haereticos cavere doceat: quod ut apte fieri possit, christianos ut cum episcopo consentiant instanter obsecrat — igitur idem fere quod excepta ad Romanos ceterae instruunt epistolae. Hac quidem re eam primo statim obtutu ab aliis epistolis discrepantem videmus, quod cum in aliis epistolis nominati sint episcopi, Ephesiorum scil. Onesimus, Magnesiorum Damas, Trallensium Polybius, Smyrnaeorum Polycarpus, unius Philadelphinorum episcopi nomen desideretur: at eius mentio in ipso epistolae initio ponitur, ubi mores eius depicti sunt notis ac signis singularibus ut videtur adhibitis, ut merito mireris episco-

pum non aperte cum christianorum collegio ab Ignatio coniunctum nec brevi post congressum cum eo factum indicatum esse. Nihilo minus oboritur suspicio unusne sit hic ex illis epistolarum locis qui magnam episcopi auctoritatem in universum expressam tradant. Quod enim grammaticam attinet, exordium hoc cum aliis anacolutha crebra admittentibus epistolarum locis conferre licet: mente sane eam de episcopo concipias opinionem, qualem Ignatius lectori inculcare voluerit: Ὃν ἐπίσκοπον ἔγνων — οὐ καταπέπληγμαι τὴν ἐπιείκειαν — μακαρίζει μου ἡ ψυχὴ τὴν αὐτοῦ εἰς θεὸν γνώμην i. q. „cui episcopo hanc contulerunt dignitatem non aura popularis neque ambitio: cuius auctoritatem magis ex eius taciturnitate, quam multiloquio cognoscas, cuius denique vita cum praeceptis divinis perfectissime concordat, maxima me afficit admiratione quod deo se dedit idque sancte ac totum et ob constantiam eius ac suavitatem qua deum aemulatur.“ In quo plane dignum est animadversione Ignatio silentium saepissime dici ad designandos animos collectos, ut Eph. VI 1 καὶ ὅσον βλέπει τις σιγῶντα ἐπίσκοπον, πλειόνως αὐτὸν φοβείσθω — quod ceterum ipsi Romani noverunt, cf. Ennium fgm. 247 V. *verbûm paucûm*: id quod cum Asianorum redundantia collatum in Ignatii ore stuporem movet. Ex tali exordii intellectu medium eminet membrum, quod profecto hic desideras: „ipse est veritatis fons“, quod auctor exsequitur cap. II: Τέκνα οὖν φωτὸς ἀληθείας....“ — „vos in ea nati conservate candidam cum episcopo concordiam.“ Sed ne haec quidem explicatio omnes removet difficultates in epistola obvias: quin etiam cap. VI 3 et VII eas adaugent. In priore enim optat ne monita (πᾶσι, ἐν οἷς ἐλάλησα — ergo in universum dicta pro praeterito nunc indefinito) iudicia putentur in eos pronuntiata qui ea audierunt: in altero vero recordatur de causa quorundam (τινές), qui non aperte, sed praepostere ac latenter in errorem inducerentur voluerunt. Ipsorum enim cogitata praeeripiens ac praenoscens exclamat: Ἐκραύγησα μεταξὺ ὤν, ἐλάλουν μεγάλῃ φωνῇ, θεοῦ φωνῇ: quae item non certissima videntur esse indicia Ignatium ipsum Philadelphos adisse. Imperfectum enim ἐλάλουν ut tempus epistolis proprium idem quod λαλῶ esse potest, qualia exempla praebet et epistola ad Romanos: quod si tibi probetur, haec monita epistolae lectoribus dicta esse patet: dein eius quod praeteritis temporibus accidisse affirmat, simile quid nunc Philadelphinos perpetrasse non obscure indicat. Ut ergo ex his tenebris quibus res in epistola tactas involutas cernis et offusas, veri similem rerum seriem enuclees, suspicandum profecto epistolam non esse nisi responsum factae de ecclesia Philadelphina relationi, quam ex illa urbe secum attulerant legati Agathopus Syrus et Philo Cilicius, pro quorum liberali plane receptione Philadelphinis grates agit. Enumerans demum boni pastoris virtutes et utilitatem commendans sanctae cum tali episcopo concordiae, fideles a limine cavet ut ob discordiam monitos se credant, οὐχ ὅτι παρ' ὑμῖν μερισμὸν εὗρον, ἀλλ' ἀποδιλισμόν — „non quod divisionem apud

vos invenerim, sed puritatem", ut latina reddidit littera, cuius simile recurrit ad Magn. XI 1 Ταῦτα δὲ (sc. ἔγραφα = γράφω), ἀγαπητοί μου, οὐκ ἐπεὶ ἔγνων τινὰς ἐξ ὑμῶν οὕτως ἔχοντας, ἀλλ' ὡς κτλ. vel Trall. VIII 1 οὐκ ἔγνων τοιοῦτόν τι ἐν ὑμῖν, ἀλλὰ προφυλάσσων ὑμᾶς ὄντας μου ἀγαπητούς; ceterum tales transitiones formulas esse indicant Philad. εὗρον idem esse quod ἔγνων, cum εὑρίσκειν postea et ad rationis actiones designandas adhibeatur. Certe non ad praeteritum tempus pertinet gratiarum actio Ignatii (VI 3) ὅτι εὐσυνειδήτός εἰμι ἐν ὑμῖν καὶ οὐκ ἔχει τις καυχήσασθαι οὔτε λάθρᾳ οὔτε φανερῶς, ὅτι ἐβάρησά τινα ἐν μικρῷ ἢ ἐν μεγάλῳ i. q. hanc epistolam scribens sentit se optime ab iis intellectum neminemque unquam verbis se laesisse: et cum iis optat: εὔχομαι, ἵνα μὴ εἰς μαρτύριον αὐτὸ (= monitum, cf. VI 3) κτήσονται non alia dicit ac quae scribit Trall. XII 3 εὔχομαι ὑμᾶς ἐν ἀγάπῃ ἀκοῦσαί μου, ἵνα μὴ εἰς μαρτύριον ὦ ἐν ὑμῖν γράψας in qua comparatione voces ἐν ὑμῖν γράψας et ἐν οἷς ἐλάλησα idem indicant ac verba epistolae, quae tum cum leguntur tempus praeteritum legentibus sonant. Monita tempori accommodata et illis probat allato quodam litigii cum adversario habiti exemplo, cum aliquos nondum aperte manifestatos praesentiens detexit errores. Qua ratione parcens iis quibus scribit rem suae curae creditam ac commendatam absolvit. Si vero eo ipso tempore apud eos fuisset et haec iis dixisset, non oportuisset idem epistola data repetere. Ab eis Agathopus et Philo venerant, qui viam in Troade illi praepediebant allat s bonis de ecclesia Antiochena nuntiis, simul et cuiusdam dissensionis apud Philadelphinos exortae relatione, id quod in ipso epistolae fine fatetur, cum obtrectatores eorum memorans dicit οἱ ἀτιμήσαντες αὐτούς. Consuetudo adversarios nisi obiter non tangendi Ignatii est propria, Eph. IX 1 ἔγνων παροδεύσαντάς τινας ἐκεῖθεν, ἔχοντας κακὴν διδαχήν Ephesiis narrans de quibusdam haereticis peregrinantibus „inde" — ἐκεῖθεν vocula leviter indicans Ephesum. At manifesto idem dicit Smyrn. V 1 ὃν τινες ἀγνοοῦντες ἀρνοῦνται — quidam docetae quos nominare non vult V 3 τὰ δὲ ὀνόματα αὐτῶν, ὄντα ἄπιστα, οὐκ ἔδοξέ μοι ἐγγράψαι.

Si cui haec explicatio ex epistolae argumento deducta et earum quas epistola tractat rerum, tum temporis indole, denique ex auctoris ratiocinandi modo minus placeret, quam ad verbum facta versio saepius interpellata et subobscura, faciliorem profecto intellectum pareret suspicio Ignatium inter et Philadalphinos iamdudum ante extitisse amicum commercium. Locus enim montanus ad Tmoli montis pedes situs terrae motibus saepius concussus curiositatem videlicet movebat ac compassionem, praesertim cum in consueto esset tramite, quo ecclesiae quoque Syriae utebantur legati, qui suo episcopo felici nuntio de persecutione intermissa et interpellata laetitiam parabant. Quid enim catervam in maxime arduam viam impulerit per fauces ac saltus cingentes meridionales Asiae oras? Certe qui milites damnatum magis cruciaturos tali via electa putant, posterioris temporis normam huic damnationi prae-

postere adhibent: tum enim temporis deportatio minime erat rara, et si solito plures custodes additi sunt, non damnati persona, sed potius ratio militaris id exposcere visa est. Nam si hanc sententiam celerrime exactum iri interfuisset, sine dubio brevissima via, scil. marina, Romam damnatus missus esset. Attamen militaris custodia quae progrediens adit portus et via Egnatia quae pro re militari maximi erat momenti proficiscitur, sua certe habet mandata observanda, v. gr. aliorum damnatorum deportationem, ut reapse Philippos intrantem comitatum adauctum per Zosimum et Rufinum, qui capitalem poenam subeant Romam petentes, christiani ovantes salutant.

Itineraria quoque illam quam martyrium describit viam commendare videntur: quae schedis conscriptis a mercatoribus, officialibus, militibus ignotas petentibus regiones ortum debent. Ipsum imperium iis utebatur et pro cursoribus ac tabellariis vias indicari curabat. Quorum ante saec. III nulla profecto mentio fit. Exeunte demum hoc saeculo Diocletiano regnante conscriptum est Itinerarium Antonini, verum quod Asiae meridionalis et occidentalis non meminit. Nonne licet hic ex silentio arguere nullas ibi vias imperiales extitisse? Si quae fuissent, certe iis usus esset Diocletianus quem Nicomediae residentem exercitus et imperii administrandi maxime habuisse rationem non ignoramus. Ad scripta haec itineraria saeculo post accedunt et picta, qualia refingit Tabula Peutingeriana, quae iam omnes imperii Romani provincias limitibus circumscribit, id quod viarum rete accrevisse testatur, verum quod Ignatianae aetati minime adscribere licet. Sed utut est, in ipsis hic nos versari opinionibus necesse est fateamur, quae ceterum nos non in sola via Asiatica investiganda vexant. Si usque ad locum, ex quo epistola ad Romanos missa est, id quod querela dicit: Ἀπὸ Συρίας — θηριομαχῶ διὰ γῆς καὶ θαλάσσης in opinionibus incertis nititur, tunc multo magis et amplificatio μέχρι Ῥώμης in ipso fere initio itineris facta stupore nos afficit, cum quae secutura sint anticipet atque occupet. Licetne suspicari genuinum textus tenorem postea esse offuscatum? Profecto hoc non unum esset vestigium alienae manus in litteris Ignatianis sua commenta interponentis.

Attamen comitemur martyrem porro a portu Epidamnio vel Apollonia. Martyrium breviter maris Adriatici et Tyrrheni meminit: Adriaticum omnes admittunt, sed quod Italiam circumvectus esset — id quod ceterum martyrium nullo modo affirmat — nemo concedit, cum omnes potius Brundisio Ignatium via Appia conductum esse Romam censeant. Martyrii auctor ut Ignatii in occidentem deportationem Paulinae adsimilet profecto dolere videtur quod propter tempestatem ingruentem navis Puteolis applicare nequierit ideoque superius ad Portum penetraverit. Quae ut concilies tibi accipiendum comitatum Brundisio terra profectum esse usque ad locum, ubi via Appia ad mare proxime accedebat, ad unum ergo e locis quorum Horatius in itinere Brundisino (Sat. I 5) meminit,

ut sunt Formiae praecipueque Anxur: inde ante paludem Pomptinam navi conscensa accelerabant adventum ad ora Tiberina, quae non fuerunt Ostia, sed potius septentrionale Tiberis os, qui Traiano regnante principalis factus est portus, quocum constructo merita Traiani nomenque eadem coniungebant ratione, atque Anconae ubi ad nostra usque tempora arcus honoris causa exstructus Traiani gloriam celebrat. Finiebatur iter brevi, quamquam doloris pleno, epilogo in amphitheatro Flaviano, quo statim Ignatius ducebatur, ut ante spectaculorum finem acceleratum imminente festo Sigillariorum, quae laetitia sua Saturnalia variabant, victima perimeretur: bestiis ergo proiectus e vestigio devoratus est. Ardens igitur martyris desiderium totum satiatum est. Quo in fine considerando mira sane videtur vox epistolae ad Romanos V 2 εὔχομαι σύντομά μοι εὑρεθῆναι, quae in Latina martyrii versione saepius repetito *illico* resonat: *illico in id* (amphitheatrum) *immissus — ut illico sancti martyris impleretur desiderium*, et si in unius codicis lectione variante: *crudelibus feris iuxta templum est obrutus*, scribae cernere licet commentum, qui ut puto exemplaris sui lectionem: *extemplo* non intellegens proprio Marte explicuerit ac diremerit scribens *iuxta templum*, quod intellectu sane caret, habebis unum adhuc *illico*.

In hac ultima itineris parte ex Portu in amphitheatrum certo custodia eum comitata est, quam — ut acerbe Rom. V 1 dicit — δέκα λεόπαρδοι efficiebant: ultimum eorum meminit martyrium cum ad Portum advecti iter accelerabant. Hanc custodum denominationem recentiores impugnabant, propterea quod vox ante Ignatium non legatur neque animal ipsum in Asia inveniatur: nullum enim est dubium *leopardum antiquorum* hic dici, cuius quidem patria est Africa. Attamen haec ratio nullo modo pertinet ad nostrum locum, ubi vox translate est usurpata, ut et nos in homines animalium signa transferre solemus, ut canum aureorum, hyaenarum, quamquam non in nostris inveniuntur regionibus. Syri enim cum Aegyptiis et Africanis commercio utentes certo vocem hanc non ignorabant. Aegyptum enim in Syriam ab Augusti aetate magis influxisse vitri demonstrat fabricatio, cui hic bona favebat arena, quae ratio vitri facturam medio saec. I p. Chr. n. in Italiam intulit, unde in Galliam meridionalem et Rhenaniam penetravit. Graeci vetustiores hoc animal voce πάρδαλις designarunt: posterius vero nomen inde exortum, quod hanc bestiam ex commixtione natum putarent. Romani hanc bestiam, ut pantheram quoque, sine dubio ex circo noverunt: si vero recentiores affirmant apud Iulium demum Capitolinum, unum scil. ex sex Scriptoribus Historiae Augustae quos Dessau quidem extitisse unquam neget, bestiae nomen in scriptis legi, certo hoc nihil ad rem bestiane extiterit necne definiendam attinet, cum scriptis ipsam vitam antecedere sciamus.

Capitis poena de Antiocheno Romae sumpta pro re extraordinaria talem excitabat rumorem, ut non solum christiani commoverentur et se compati aemularentur, sed ipsorum quoque paga-

norum opinio non omnino eam dissimularet. Expressit hoc Lucianus Samosatenus exornans suum Proteum, qui et Peregrinus, flosculis ex Ignatiana historia decerptis. Abstinentiam quidem ac mortificationem christianam cum Cynicorum abnegatione confundit. Proteus animos compatientes movet christianorum, qui custodiam donis mulcentes, vinctum visitant eumque in vinculis deportatum per oppida salutant ac celebrant; qui vinctus simul admirationi et gloriae est iis philosophis, qui eum suae sectae nomen dedisse contendunt. Protei auctoritatem indubitatam ex eius dictis ac scriptis cognoscas. Id ipsum autem quod insolitum mortis genus exquirit — in rogum enim se conicit — κενοδοξία effecerit, cuius simile exemplum apud Empedoclem repperit: alia namque causa allata Luciani cogitandi modo minime respondisset: eundem Lucianum testatur et verborum ex Ignatianis quas sine dubio manu versabat epistolis decerptorum in ridiculum detorsio. Difficile enim affirmatu solo casu esse effectum, ut tales similitudines, v. gr. ad loca carceris designanda, iisdem fere verbis exprimerentur: τὸν ἐν Συρίᾳ δεθέντα (Luc. 4) et δεδεμένος ἀπὸ Συρίας (Ign. Eph. I 2), ἐν Συρίᾳ, ὅθεν δεδεμένος — ἀπάγομαι (Eph. XXI 2) vel quod moriturus epistolas adhortatorias et praeceptorias ac nuntios eadem mandantes dederit (Luc. 41): φασὶ δὲ πάσαις σχεδὸν ταῖς ἐνδόξοις πόλεσι ἐπιστολὰς διαπέμψαι αὐτόν, διαθήκας τινὰς καὶ παραινέσεις καὶ νόμους· καί τινας ἐπὶ τούτῳ πρεσβευτὰς τῶν ἑταίρων ἐχειροτόνησε νεκραγγέλους καὶ νεκροδρόμους προσαγορεύσας, quocum cf. Ign. Pol. VIII 1 ἐπεὶ πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις οὐκ ἠδυνήθην γράψαι ...γράψεις ταῖς ἔμπροσθεν ἐκκλησίαις... εἰς τὸ καὶ αὐτοὺς ποιῆσαι κτλ. vel ibd. VII 2 πρέπει χειροτονῆσαί τινα, ὃν ἀγαπητὸν λίαν ἔχετε καὶ ἄοκνον, ὃς δυνήσεται θεοδρόμος καλεῖσθαι. Plane similia legas ad Smyrn. XI 2, Philad. X 1. Lucianum agnoscis in voce θεοδρόμος commutata vel potius detorta in νεκραγγέλους et νεκροδρόμους. Ipsane epistolae forma, qua usus Lucianus sua enarrare voluit convitia, epistolis Ignatianis in ridiculum convertendis debetur? Speculum enim paulo declinatum satis accurate verum relucens vides. Quin etiam cum Lucianus Peregrini laudem resultantem fingit ex ore Theagenis ipsum comparantis cum Iove Phidiaco ut perfectissimum rerum naturae (φύσις) figmentum, haec luce ultro repercussa imago, quae quidem plus est quam ἄγαλμα Φειδίου aut ἄγαλμα φύσεως imaginem novi refert hominis, qui ad maximas destinatus res peragendas, qualem se novit Ignatius Romanos quidem obsecrans: ἄφετέ με καθαρὸν φῶς λαβεῖν· ἐπεὶ παραγενόμενος ἄνθρωπος ἔσομαι. Alibi Ignatium (Smyrn. IV 2) sibi complacentem elementa quae efficiant τέλειον ἄνθρωπον indagantem ac scrutantem cernis, quibus inane ac vacuum ὄνομα ἀνθρώπου opponit (Philad. VI 2), monumentum scil. omni destitutum vita. Hominis enim definitionem statuit, quae notissimum illud Aristotelis in Ethicis ad Nicomachum dictum ἀνθρωποπρεπὲς εἶναι in memoriam revocat, quod archiepiscopus Bilczewski in epistola pastorali et in libro c. t. „Charakter" pulchre exposuit, per sententiam intellectu sane gravidam Menandri: ὡς

χαρίεν ἐστὶν ἄνθρωπος, ἂν ἄνθρωπος ᾖ, quae Clementem Alexandrinum ut eam afferret provocavit: quibus post ea accesserunt signa et notae quae Romanorum effecerunt humanitatem in prima ac secunda renascentium morum ac litterarum aetate ad illorum temporum indolem mutatam et refictam: qui denique intellectus hominem elevat id quod totus est exquirens ipsumque vitae quam non infacete dicas peregrinationem attingit finem, quem medii aevi homines voce *patria* adhibita definierunt. Hanc profunditatem nondum assequuntur verba Ignatii Eph. 2 κατ' ἄλλον βίον, quae Lightfoot mutanda censet in κατ' ἀνθρώπων βίον, Zahn vero in καθ' ὅλον βίον, verum quae Walter Bauer opposita censet Rom. VII 3. Ex cogitatorum videlicet nexu efficiendum, ἄλλον βίον esse vitam aliam atque ea qua ceteri vivunt, cum paganorum vident pompas Dianam Ephesiam celebrantes: pro his turmis in quarum supplicationibus deae statuae et imagines templi et vasa sacra ferebantur, christiani sint σύνοδοι, sed θεοφόροι καὶ ναοφόροι, χριστοφόροι, ἁγιοφόροι κατὰ πάντα κεκοσμημένοι ἐν ταῖς ἐντολαῖς Ἰησοῦ Χριστοῦ. Quae si tecum reputaveris, ἄλλον βίον hanc christianorum vitam designare concedes.

Sed ut ad Lucianum revertar a quo ob ἄγαλμα explicandum digressus sum, ut quid hominem Ignatius esse putaverit breviter definirem, necesse est addam Danielem Voelter (Die Ignatianischen Briefe auf ihren Ursprung untersucht, Tübingen 1892, et idem: Polykarp und Ignatius und die ihnen zugeschriebenen Briefe neu untersucht [Die apostolischen Väter neu untersucht II 2], Leiden 1910) hanc Lucianum inter et epistolas Ignatianam similitudinem intercedentem accuratissime, quamquam minus vere, indagasse, si quidem praeter epistolam ad Romanos, quam exeunte saeculo II interpolatam putat, ceterarum sex epistolarum Peregrinum facit auctorem, ut Ignatio eas abroget et quem ratio ipsa dictare videtur ordinem immutet. Attamen ipsum penitus, quamquam nostra quidem sententia nimis ample, refutavit Rackel (Christologie des heiligen Ignatius von Antiochien, Freiburg 1914) totam a Voeltero excogitatarum convellens congeriem opinionum de tempore quo Ignatianae essent conscriptae epistolae deque Polycarpi epistola quam hic contenderat interpolatam, dein de epistolae ad Romanos compositione, de tota demum falsa Voelteri opinione qua Ignatianae epistolae metamorphosibus excogitatae a Luciano personae ortum deberent: scil. sub Theophori nomine latuisse Proteum qui ad Cynicos transfugiens epistolarum auctorem Ignatium fingi iuvisset. His commenticiis Voelteri opinionibus digna est quae opponatur Adolfi Harnack sententia quam his verbis edixit: „Ein jeder Brief ist eine Individualität für sich und hängt doch mit den andern aufs innigste zusammen, und dieser Zusammenhang stuft sich ab je nach der Situation: der Römerbrief ist das eigentümlichste Schreiben unter den sieben: er zeigt daher am deutlichsten, dass diese Briefe nicht von einem künstlichen Schema beherrscht sind." Praeter hanc sententiam quae epistolam ad Romanos in ipso Ignatianarum

quaestionum cardine ponit, audias gravissimum sane iudicium Renanii dicentis hanc epistolam „l'un des joyaux de la littérature chrétienne primitive." Ut scriptum enim et documentum in aevorum tenebris auctoris personam illustrans introductoria continet elementa ad ea quae scripsit cognoscenda et aestimanda, quae praeclare exornant paginas „Venerandorum ecclesiae primaevae monumentorum, quae patrum apostolicorum nomine nuncupare consuevimus", ut Gebhardt, Harnack, Zahn in editionis suae praefatione priscorum definiunt litteras christianorum.

ZANES.

H. J. Rouse (Zeus Meilichios, Zeus Agamemnon and Zanes, in: The Classical Review XXXV 1921, 147—146) discutiens famosissimum locum Macrob. Sat. III 7, 6 *(animae sacratorum hominum, quos Graeci* zanas *vocant)* explicat hanc vocem ut pluralem numerum vocis *Zan*, quae hoc loco significet *divos („non-humans")*. At iamdudum veram huic loco medelam mea quidem sententia attulerat Jac. Bernays (Zanes, in: Hermes IX 1875, 127 = Gesamm. Abhandl., Berlin 1885, II 351), qui Macrobii verba coniungit cum notitia a Pausania V 21, 2 tradita de statuis Iovis Olympiacis, quae ex mulctis solutis ab athletis certaminum leges transgredientibus ex aere conflatae, ab inquilinis Zanes vocabantur, autumatque ipsos athletas Iovi Iuratori sacros habitos esse: qua ex re minus intellecta Macrobius suum conflaverit.

Ἰησοῦς Ἀλεξίκακος.

Prentice l. c. nr. 120 hanc tradit inscriptionem in Syria repertam: Ἰησοῦς ὁ Ναζωρέως, ὁ ἐκ Μαρίας γεννεθείς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ἔνθα κατοικί· μὴ ἔστω οδε..., ubi supplendum est: μὴ ἔστω ὁδε [κακόν]. Concinnius sane legebatur: εἴσοδος κακοῦ, at loci angustia obstat. Ceterum sententiam adaptatam esse patet ex notissima in Herculem inscriptione, quae et Pompeis et in Cappadocia (Kaibel in Bull. Instit. 1878, 34) invenitur:

ὁ τοῦ Διὸς παῖς καλλίνικος Ἡρακλῆς
ἐνθάδε κατοικεῖ· μηδὲν εἰσίτω κακόν,

quam inscriptionem, postquam Commodus colossum Neronis in νέον Ἡρακλέα mutavit, non infacete ita detorserunt:

ὁ τοῦ Διὸς παῖς καλλίνικος Ἡρακλῆς,
οὐκ εἰμὶ Δούκιος, ἀλλ' ἀναγκάζουσί με,

quod idem fortasse Latine (CIL VI 329, v. Bormann in Bull. Inst. 1879, 43) luserunt:

Hercules invicte, sancte Silvani nepos,
hic advenisti: ne quid hic fiat mali.

Alias eiusdem generis inscriptiones commemoravit Ganszyniec, De Agathodaemone, Varsoviae 1919, 15 sq.

In invidum.

Multa extant opera musiva exhibentia inscriptiones contra invidiam. Anno 1917 vir doctus Vidal invenit in vico Lambiridi (prope Constantinam Algeriae) hunc textum: INVIDE. | VIVE. ET. VID | E. VT. POSSIS. | PLVRA. VI | DERE. (Ballu in Bull. arch. du Comité d. trav. hist. 1919, 158 sq.). Quam inscriptionem minime infrequentem hexametrum depravatum referre iam alii animadverterunt eumque v. gr. Engelmann (Berl. phil. Woch. XXVIII 1908, 1102) ita restituendum censet:

Invide, vive, vide, possis ut plura videre.

Attamen nescio veriusne legendum sit ita:

Invide, vive et vive, ut possis plura videre,

quod certe propius ad ea quae tradita sunt verba accedit eamque ob rem mihi probatur. Ceterum eandem reperimus inscriptionem in eiusdem Algeriae vico Henchir-Redir-el-Fras prope Tebessam (Guénin in Nouv. Archives des Missions scientif. XVII 1906, 135), ubi in supero portae limine pictam intra coronam est posita: INVIDE | VIVE ET VI | DE VI PLVRA PO | EIS VI | DER, quod manifesto est leg.: *invide, vive et vide, ut plura possis vider[e]*. Optant ergo ut invidus ideo vivat, ut quod vicinorum res secundas videt ipsi tormento evadat, nam teste Horatio Epist. I 2, 57 *invidus alterius macrescit rebus opimis*.

Similes liceat hic afferre inscriptiones algericas, quae partim depravatae sunt. Cheriae invenit Guénin (ibd. 109) intra pictam coronam in supero portae limine hanc gratulationem: BB | INVI | DISLEI | VIDIS h. e. *bonis bene: invidisse invidis*, quam gratulationem saepius his conceptam verbis legere contingit: *bonis bene, malis male* (=BBMM).

Epigrapho maioris momenti evadit inscriptio item in supero portae limine exsculpta repertaque in vico Henchir-Regada (Bahiret-el-Arneb, nunc Inscr. Lat. de l'Alg. I 3706 Gsell): I. N. *phallus. phallus.* VI. DE. F. I i. e. *invide f. i.* Primo namque obtutu quid F. I sibi velit minime patet: usitatissimum hoc scimus compendium monumentis adscriptum pro *fieri iussit*, verum quae explicatio hoc quidem loco certe intellectu caret. Quam ob rem ne dubitaveris legere *fi* eadem plane vi intellectum, atque audit apud Romanos (Terent. Ad. III 2, 59 etc.) et Francogallos, ut sit verbalis quaedam fascinorum interpretatio. Ceterum patet ipsum compendium F. I male intellectum — quippe cui averruncantem inesse vim crederent — huic inscriptioni dedisse initium, quod idem et postea accidisse videmus cum ex R. I. P. S. (=Requiescat in Pace Sancta) saec. XVII nova quaedam inauditaque vox *Rips* efficeretur.

R. G.

DE SOPHOCLIS FABULA IGNOTA

scripsit

THADDAEUS ZIELIŃSKI.

I.

Ambitiosum est in via tot ambulantium pedibus pressa aliquid sibi invenisse videri, quod illos fugerit; attamen res ipsa postulat, ut una cum lectore *Philoctetae* Sophoclei et prologam recolam, quo Ulixes imperiti iuvenis animum ad dolos versandos praeparat, et scaenam illam, qua is magistri mandata exsequitur.

Haec igitur vafer Ithacus ad Neoptolemum (v. 56 sq.): „Cum ex te quaesierit, quis sis et unde venias, dicito te filium esse Achillis — hoc simpliciter est confitendum: navigare autem domum relictis castris navalibus Achivorum propter odium eorum ingens, qui cum te supplices domo arcessierint, quippe hanc unam habentes capiendi Ilii spem, non tamen dignati sint praesenti reddere Achillis arma, iustam aspernati spem, sed ea Ulixi concesserint — atque hoc loco extrema quae in mentem venerint in me convicia congerito: eorum enim nullum me laedet."

Inde igitur a v. 343 docilis discipulus Philoctetae animum ficta narratione captare conatur: venisse Scyrum ad se Ulixem cum Phoenice, ut se una cum ipsis ad Troiam ducerent: sua autem maxime interfuisse, ut patris corpus nondum combustum videret. Sigeum igitur cum appulerint, Myrmidonum agmen se circumstetisse, „iurantibus omnibus iterum se vivum aspicere mortuum Achillem" (357). Se vero postquam fletus honorem patri tribuerit, Atridas utpote amicos adiisse, ut sibi Achillis arma ceteraque, quae eius fuissent, redderent. At illos sibi sceleratissima oratione (τλημονέστατον λόγον) respondisse, cetera quidem quominus sibi haberet nil obstare, arma autem in alius esse potestate — Ulixis scilicet.

Hucusque nihil in hac narratione inesse videmus, quod aut veritatem aut Ulixem laedat; sed pergamus.

Audita hac imperatorum sententia Neoptolemus lacrimis prae ira obortis exsilit: itane se nescio arma eos sua cuiquam concessisse? Ad quae Ulixes praesens: „immo, inquit, iure: ego enim et ipsa et dominum salvavi." — Satisne idoneam affert pio filio causam? — At ille tumens ira extrema in eum convicia ingerere, nil indictum relinquens: Tune meis me armis privabis? Hoc vero loco Ulixes quamvis non iracundus (καίπερ οὐ δύσοργος ὤν), aegre ferens audita, ita respondit: „Non fuisti apud nos, immo afuisti ubi non oportebat; quoniam vero etiam lingua uteris audaci, nunquam haec arma Scyrum asportabis". Inde discessum.

Vix credo quemquam, qui modo libera, non praeoccupata mente haec legerit lectaque perpenderit, hoc unum infitiaturum

esse, aperte praevaricari Neoptolemum; quid enim aliud dicere poterat, si non propriam causam ageret, sed Ulixis patronus extitisset? Ulixis enim responsa omnia sunt et moderationis et dignitatis plena; quin ubi contumeliis exacerbatus severius adversario respondet, a Neoptolemo continuo excusatur ut minime per se δύσοργος. Hic contra ira prorsus non ferenda incenditur in regem et natu maiorem et meritorum gloria florentem et, quod gravissimum erat, patris sui corporis salvatorem. Minime igitur causae suae inservit Neoptolemus, Philoctetesque, nisi et ipse Atridarum Ulixisque odio flagraret, haud dubie ei respondere debebat iniustam esse eius iram; iret potius regumque gratiam sibi reconciliaret.

Quae cum ita sint, nostro iure affirmare possumus, non in huius tragoediae usum Sophoclem libero etiamtum arbitrio hanc narrationem composuisse, sed alius tragoediae mythopoeia obstrictum, in qua non Ulixis aviditas pravumque Atridarum iudicium, sed ipsius Neoptolemi iuvenilis iracundia castigata fuerit.

Ne autem aenigmate diutius trahendo lectoris mentem exerceam, iam nunc edicere placet, quod tota hac commentatiuncula demonstrandum mihi proposui: scilicet poetam hac quam attulimus narratione — ultima de discessu verba si exceperis — suae ipsius fabulae mythopoeiam repetere, cuius titulus fuerit *Neoptolemus*.

II.

Fictam Neoptolemi narrationem chori modicum excipit canticum (391—402): „Montana omnium nutrix Tellus, genetrix ipsius Iovis, quae auriferum tenes Pactolum!“ — Idaeam invocare videtur Matrem, Troiae patronam, quae ab Homero alio nomine indigitata, apud tragicos antiquum propriumque recuperaverat. „Tibi, potentissima Mater, iam tum supplicavimus, cum tota Atridarum iniuria in hunc ducem nostrum irruebat, cum arma eius paterna — o beata taurivororum leonum domitrix! — pro supremo ornamento Laertis filio concedebant!“

Memini iam puero mihi hoc canticum ultra modum displicuisse. Sane adiuvat fidelium nautarum chorus dolosum ducis consilium: sed quid attinuit fictae testem rei sanctissimum Telluris matris numen invocare? Quantulum hoc distat a periurio? Sed ne hoc quidem satis est: ad maiorem mendacii fidem preces suas afferunt, quibus hanc ipsam deam fatigaverint, fictas, ut videtur, et ipsas.

Frustra tamen et ego et quicunque alius tenuioris fuit animi pium poetam incusavimus: si enim revera non in inani dolosaque fictione versatur Neoptolemi narratio, sed verum exstantis fabulae argumentum repetit, sequitur etiam has preces in illa fabula locum habuisse. In memoriam igitur spectatorum revocat poeta, quod eis quandoque in priore tragoedia proposuerat: sive, ut nunc dicere

solemus, se ipse citat. Pronum enim est conicere tragoediae, quae heroa habuerit Neoptolemum, chorum ex militibus eius constitisse.

At inauditae sunt tales... „autocitationes" dicturus eram, barbarae temporum inclinationi obtemperans. Credo in tantis tragoediae Graecae ruinis nimis severe nobiscum agere, qui singularia admittendi ius nobis adimat: huius tamen casus analogiam quandam mihi afferre posse videor. Ita enim in *Agamemnone* 799 imperatori reduci fatetur Argivorum chorus male eum a se quandoque audisse, tum scilicet, cum exercitum contra Troianos colligeret: quae imprecationes in eiusdem poetae *Telepho* locum habuisse videntur, in quo ex eisdem Argivis constabat chorus (cf. „Tragodumenon II. III", qui iamiam proditurі sunt).

Utut est, videtur in *Neoptolemo* locus fuisse, quo in eo res erat, ut revera patriis armis iuvenis dux privaretur: tum chorus militum ducis infortunium aegre ferens sinceris precibus montium Troianorum patronae supplicavit, ut hanc ab eo iniuriam averteret. Nullum ibi mendacium, nulla impietas; sed ne hic quidem, ubi idem chorus Neoptolemi narratione admonitus salva veritate quae tunc precatus erat breviter recolit, totius ut videtur stasimi argumento in paucos versus compresso. Quod si vere posuimus, maculam Sophocli detersimus, ornamentum addidimus.

Iuvat tamen hac in re ad poetae iudicium provocare — Francisci dico Grillparzeri, qui ea quae hucusque disserui, iam magna ex parte occupavit: cuius verba licet a me iam in „Tragodumenis" laudata (p. 109), tamen etiam hic postulante materia repetere non pigebit. Sunt autem haec (Werke her. v. Hock XIII 25 a. 1862): „Postulatio Neoptolemi, ut sibi patris arma redderentur, eiusque ira, cum ea Ulixi adiudicata comperit, et Graecorum exercitus relinquendi propositum fieri non potest quin vera sint (excepto tamen quod postea a proposito se demoveri sit passus), nisi malumus eum tanta mentiendi arte excellere, quae tragoediae tendentiae et evolutioni prorsus contraria sit." Cf. etiam si placet meam de Grillparzero commentationem editam in ephemeride Przegląd Warszawski 1924 Luty p. 208.

III.

Cur tamen nemodum de hac tragoedia Sophoclea, *Neoptolemum* dico, cogitavit? — Cogitassent credo multi, nisi ab initio errore Welckeriano, quem iteravit Ribbeck (Die römische Tragödie 402 sq. cf. praeterea Robert, Die griech. Heldensage 1220 [3]) in falsam deducti essent viam. Scripsit enim *Neoptolemum* Accius quoque: eius nobis XIII servata sunt fragmenta — non multa scilicet, attamen talia, ut si omnia quae quidem antiquae sunt tragoediae ita essent comparata, perbene nobiscum actum confiteremur. Huius igitur argumentum Welckerus et Ribbeckius in eo positum fuisse iudicaverunt, ut Neoptolemus Scyro arcessitus re-

praesentaretur. Scyri igitur res agitur: Neoptolemus, Deidamia, Lycomedes, Ulixes, Phoenix — hae sunt dramatis personae.

Cui coniecturae etiamsi cetera faveret, tamen summopere refragaretur fgm. IX omnium disertissimum:

ut dixi (?) macte his armis macte virtutei patris.

Ubi obiter moneo inter corrupti initii medelas elegantia prominere illam, quam Luc. Muellerus in Nonii editione proposuit:

NE. Tun, Ulixe? — UL. Macte his armis, macte virtutei patris!

Admirabundus scilicet iuvenis ob inexspectatum Ulixis armorum reddendorum consilium vixque auribus fidens eum alloquitur ab eoque simul cum armis congratulationem accipit. Sed haec perinde sunt: non enim in primis verbis, sed in sequentibus rei cardo vertitur. Achillis igitur arma ab Ulixe Neoptolemo simul cum his verbis tradi ne Ribbeckius quidem infitiatur. Quam rem ut cum coniectura Welckeriana conciliet, admittere cogitur Ulixem haec arma Scyrum vexisse, ut ea ibi iuveni traderet. Quod neque per se est probabile — quid enim attinuit Scyrum arma portari, quae brevi post Troiam revecturus erat? — et disertis Procli verbis in Iliadis Parvae epitoma refragatur: καὶ Νεοπτόλεμον Ὀδυσσεὺς ἐκ Σκύρου ἀγαγὼν τὰ ὅπλα δίδωσι τὰ τοῦ πατρός. Ad Troiam igitur demum, non Scyri, arma accipit Neoptolemus: ad Troiam in fabula Acciana res agebatur. Argumentum habemus ab eo non diversum, quod etiam Sophocles in illa quam supra enucleavimus tragoedia tractavit: sive, ut aliis verbis idem dicamus, Sophocleam *Neoptolemi* fabulam Accius *Neoptolemo* suo expressit.

Cetera fragmenta omnia huic suppositioni favent. Ex his duo intolerabilem cuiusdam iracundiam describunt, fgm. III:

haud quísquam potis est tólerare acritúdinem

et fgm. IV:

vim, ferociam, ánimum, atrocitátem, iram, acrimóniam —

Neoptolemi scilicet, qui etiam in ea, quam in *Philocteta* legimus, narratione hoc vitio laborasse visus est. Eadem iracundia etiam indignabunda illa verba insignia sunt, quae fgm. VII exhibet:

dolét pudetque Gráium me et veró piget —

quaeque vix fallaci coniectura ab ipso Neoptolemo pronuntiata censebimus; sed etiam fgm. III quamvis mitigatis verbis agnoscitur:

vis véritatis . . . . . atque ácritas.

Contra Ulixis virtutem principalem in derisionem vertere videtur fgm. IX:

sátin astu et falléndo callet . . . . . ?

Summi autem imperatoris sententiam dicta utrimque causa audire videmur superbo iuveni non iucundam fgm. V:

. sátis iam dictumst, néque ergo errantiae ánimi prave mórigerabor.

Contra conciliatoria magnanimi adversarii opinio hisce honestis verbis significari videtur (fgm. I):

quid si ex Graécia
omni illius par némo reperiri potest?

eorum non dissimilibus, quae ex eiusdem Ulixis ore de adversario acerrimo in *Aiacis* tragoedia audimus (1339):

λίγειν
ἓν' ἄνδρ' ἰδεῖν ἄριστον Ἀργείων, ὅσοι
Τροίαν ἀφικόμεσθα, πλὴν Ἀχιλλέως.

Hic sane multis fortiter gestis virtutem suam ostenderat, ille tunc cum maxime tiro in exercitum venerat; ita sane, sed tiro ab ipsis deis honoratus, qui praeter eum solum Aeacidarum a nemine Troiam capi posse declaraverant.

Incerta est sententia fgm. VI:

atque ádeo valvas sónere sensi régias,

ex nuntii fortasse sive potius Demophontis — de quo infra dicturus sum — de heroe Scyro arcessito oratione sumptum, ut Lycomedis regia intellegatur; nisi malis incertiore circumstantia de Agamemnonis ianua agi. Nec multum nos provehit fgm. XII:

úbi nil contra orátionem aequam hábuit, adsensit sílens.

Paulo firmiora sunt, quae nobis in mentem veniunt de fgm. VIII:

decoráre est satius quám verbena et taéniis.

De Achillis mortui sive lecto funebri sive rogo sive urna aut sepulcro agi videtur: ubique enim accommodata erant verbenarum et taeniarum dona. Quam tamen rem praeferendam dicit his sepulcralibus ornamentis? Pronum est de pietate, similibusque virtutibus cogitare, ut amici alicuius sint verba tumentem Neoptolemi iram pacantis.

Ego fragmentorum interpretationi quantum tribuendum sit ex longo commercio scio: quae probabilia sunt, non ultra probabilitatem aestimo, incerta in incertis relinquo, id solum in interpretandis curans, ut ea universo tragoediae argumento non refragari ostendam. Est tamen ubi ad talem gradum assurgat probabilitas, ut paene, quae est scientiae nostrae conditio, pro certitudine habenda sit: quod et de illo fragmento, quod primo loco positum est, valere videtur, et de eo, quo hanc de fabula Acciana disquisitiunculam clausuri sumus.

IV.

Seorsum enim agendum existimo de fragmento, quod et prave, ut cetera, hucusque intellectum est, et recte intellectum summi fiet ad actionem restituendam momenti: est autem fgm. X:

sed quém mihi iungent? cuí, quae cum illo fúerim, dignabór dari?

Feminam loqui videmus, quae cum illum, quocum antea vixit, amiserit, futuri anxia de illo quaerit, qui in illius locum successurus sit. Et de amisso quidem nulla est dubitatio: de Achille agi et Ribbeckius cum Welckero statuit, et ego concedo. De femina quaeritur. Illi enim, cum Scyri rem agi sibi persuasissent, Deidamiam querentem induxerunt, parum favente, ut ilico demonstraturus sum, querelae contextu. Vides enim primum de legitimo matrimonio nullum proferri verbum: fuisse enim se tantum cum Achille asseverat misera. Itane tandem — quod secundum est — fuit cum Achille Deidamia, quae post paucarum noctium commercium tot annis ab eo separata vixit? Verum — quod tertium idemque gravissimum est — decuitne matronam, adulescentis filii matrem, amisso marito continuo de novo matrimonio cogitare? Ut non dicam submissum illud „quem mihi iungent?" ancillam potius captivamve quam regis filiam ipsamque reginam redolere.

Sed haec approbationis tantum causa affero: non enim Scyri, sed ad Troiam in Achivorum castris rem agi supra vidimus. Quae cum ita sint, etiam de femina nostra quaestio continuo solvitur: nulla enim alia fuisse potest praeter Briseidem. Haec enim et revera „fuerat" cum Achille usque ad extrema vitae, et cum non sui iuris fuerit, sed captiva in domini potestate, florens praesertim iuventute nullis etiamtum liberis suborti, revera exspectare poterat se secundum dominorum libidinem ludibrio datum iri.

Sed quonam loco hanc querellam fudisse existimanda erit?

Aspice quaeso quam inverisimiliter poeta — num primus, nondum liquet — eventorum quae Achillis mortem secuta sunt tempora ordinaverit. Post occisum nimirum regem salvatumque corpus — armorum iudicium; Aiacis inde insania et suicidium, alterius — non secundum Homerum, sed secundum tragicos — Aeacidae: iam cum capi posse Troiam nisi ab Aeacida oracula negarent, coacti sunt Achivi Neoptolemum Scyro arcessere. Eum vero ante omnia desiderium impulit patrem etiamtum insepultum videndi (Phil. 350):

μάλιστα μὲν δὴ τοῦ θανόντος ἱμέρῳ,
ὅπως ἴδοιμ' ἄθαπτον.

Quo fit ut etiam ad Troiam nihil antiquius habeat, quam ut patrem iacentem solemni fletu honoret (359):

κεῖνος μὲν οὖν ἔκειτ' · ἐγὼ δ' ὁ δύσμορος
ἐπεὶ 'δάκρυσα κεῖνον...

Diu sane insepultum iacuit Achillis corpus! Fieri tamen potest, ut nobis tantum, qui abbreviationes solas et epitomas legamus, parum verisimilis esse videatur haec temporum digestio, cum in carminibus ipsis — *Neoptolemo* dico, si non iam Iliade Parva — poetae huius incommodi medelam invenerint. Si enim Hectoris Homerici corpus Apollinis divina tutela ab omni iniuria salvavit, quid

obstat quominus etiam Achillis insepultum cadaver simili Thetidis opera vel Minervae — quae Quinti Smyrnaei est traditio (III 533) — intactum sit conservatum?

Utut est, de re ipsa nulla est dubitatio: nec sine ratione fit, ut in *Aiace* Sophoclis funeris Achillei nulla incidat mentio — insepultum scilicet etiamtum iacebat herois corpus. In nostra demum tragoedia, *Neoptolemo* scilicet, funeris fiunt praeparationes inque primis filii fletu honoratur mortuus.

Soliusne? — Qui hoc fieri poterat praesente Briseide? Immo putanda est plurimum ad ἐλέου εἰσβολήν valuisse captivae puellae querellam, si quidem etiam Propertius eius mentionem facit (II 9, 9):

> Nec non exanimem amplectens Briseis Achillem
> candida vesana verberat ora manu.

Nobis tamen gravior testis succurrit quem modo nominavi Quintus III 551 sq., apud quem etiam verba invenimus Accianorum simillima (569):

> νῦν δὲ τίς ἐν νήεσσιν Ἀχαιῶν ἄξεται ἄλλος
> Σπάρτην εἰς ἐρίβωλον ἢ ἐς πολυδίψιον Ἄργος

Atridarum igitur alteruter

> καί νύ κεν ἀμφιπολεῦσα κακὰς ὑποτλήσομι' ἀνίας
> σεῦ ἀπὸνοσφισθεῖσα δυσάμμορος.

Et Rothstein quidem ad Propertii l. l. Quinti testimonio collato Alexandrinum quendam poetam communem utriusque fontem fuisse censet; fugerat eum nimirum Acciani fragmenti similitudo. Nos eius ratione habita in *Neoptolemo* potius nostro communem trium poetarum agnoscemus fontem, idque eo libentius, quod etiam in Aiacis extremis fatis describendis ad Sophoclis tragoediam cognominem sese applicavit Smyrnaeus poeta.

Satisne benignam se nobis praestitit fortuna, quae in tanta tragoediae Romanae clade hoc tamen Accianae fabulae nobis frustulum servavit? Nunc enim demum conflictus vere tragici personam nacti sumus Briseidem, eius non dissimilis, qui in *Aiace* cum Tecmessae persona coniungitur. Mortuo enim Achille caduca res eius — pro re autem etiam Briseis est — in summorum imperatorum potestatem pervenit; et haec est causa, cur apud Quintum, ut modo vidimus, interroget infelix femina, uter eorum se ut ancillam avecturus sit. Ecce autem legitimus supervenit heres Neoptolemus: heres sane, modo de hereditate, quam etiamnunc Atridae possident, secundum eius voluntatem decernatur! Decernitur autem ita (Phil. 364):

> ὦ σπέρμ' Ἀχιλλέως, τἄλλα μὲν πάρεστί σοι
> πατρῷ' ἑλέσθαι

cum ipsa Briseide, ut apparet,

> τῶν δ' ὅπλων κείνων ἀνὴρ
> ἄλλος κρατύνει νῦν, ὁ Δαέρτου γόνος

satis prospere secundum Briseidis, non ita secundum Neoptolemi

sententiam: qui dum quovis pacto arma Ulixi adiudicata recuperare conatur, eo acrimonia sua rem deducit, ut abruptis pertractationibus etiam rem paternam una cum Briseide imperatoribus relinquere debeat. Quod quantis cum lacrimis quantaque cum imploratione infelicis puellae factum sit, facile nobis repraesentare possumus.

V.

Antequam porro progrediamur, quid adhuc demonstratum sit, respicere placet.

Neoptolemi igitur in Sophoclis *Philocteta* narratione et ipsa diligenter examinata et cum Accianis ex *Neoptolemo* fragmentis cumque Iliadis Parvae epitome collata fabulam fuisse demonstravimus, cuius argumentum in Achillis armis filio eius tradendis versaretur. Ei titulum fuisse ipsi quoque *Neoptolemum* propter Accianam imitationem verisimile est. Actionem ex parte restituimus, cum ostendimus tragicum quietam epici carminis narrationem ita immutasse, ut impotentis iuvenis iracundia inducta πάθους elementum, Briseidis vero persona addita etiam ἐλέου adiungeret. Sed nec fragmentum dum ullum ignotae fabulae repperimus neque adeo poetae nomen quod fuisset enucleavimus.

Illud ut breviter transigamus, unum saltem mihi invenisse videor fragmentum, quod cum in indistincto adespoton grege locum sit nactum, magna cum certitudine nostrae vindicandum sit tragoediae. Revocandus est lector ad illum narrationis locum, quo iuvenis dux de militum patriorum gratulatione loquitur, Achillem se nempe redivivum eis apparuisse (357):

ὁμνύοντες βλέπειν
τὸν οὐκέτ' ὄντα ζῶντ' Ἀχιλλέα πάλιν.

Felici enim casu accidit, ut hic ipse versus, quem hic respicit poeta, nobis servaretur, quamquam sine poetae nomine fabulaeve titulo (adesp. 363):

οὐ παῖς Ἀχιλλέως, ἀλλ' ἐκεῖνος αὐτὸς εἶ.

Et videtur sane bene notus fuisse antiquis hominibus: non solum enim hic a Plutarcho citatur, sed etiam Livii animo eum obversatum esse probabile est, cum is Hannibalem iuvenem a patris veteranis receptum describeret (XXI 4, 2): *Hamilcarem iuvenem redditum sibi veteres milites credere.*

Cuinam tamen poetae hunc versum cum tota tragoedia assignandum putamus? Blaydesius quidem cum in *Philoctetae* commentario de eo ageret, *Philoctetae ad Troiam* eum vindicavit, nec tamen cuiquam sententiam suam probavit. Neque id iniuria. Quis enim crederet Sophoclem Philoctetae, quem in Achivorum castris sui milites receperant, Myrmidonum chorum addidisse? At *Neoptolemi* chorum ex eisdem Myrmidonibus compositum fuisse, qui etiam Lemnum ducem suum prosecuti sunt, iam supra (§ II) vi-

dimus. Tum ne temporum quidem rationes Blaydesii coniecturae favent. Si enim in *Philocteta Troiano* chronologiam *Lemnii* praeoccupavit poeta, secundum quam Neoptolemo demum recepto Philoctetam arcessserunt Achivi, non fuit hic primus, sed iteratus Neoptolemi adventus. Sin eam reliquit, quam in Iliade Parva invenerat, nullus dum fuit Philocteta reduce Neoptolemi apud Achivos locus.

De *Neoptolemo* igitur non est quod dubitemus: tamen cum sine poetae nomine servatum sit fragmentum, fatendum est anonymam adhuc remansise fabulam nostram. Plutarchus enim, cui servati gratiam referre debemus, assiduus fuit tragicorum lector, ut ne canonici quidem triumviratus limitibus se contineret. Videndum igitur est, an aliunde aliquid proficere possimus.

VI.

Neoptolemi actio, qualem supra adumbravimus, *Scyrios* Sophocleos continuabat, quorum argumentum Neoptolemum dedisse Scyro arcessitum Engelmannus ostendit (Arch. Studien zu d. Tragikern 29 sq.) et ego approbavi (Les reflets de l'histoire politique dans la tragédie grecque 6= La Pologne au Congrès international de Bruxelles 1923, XVII). Sequiturne inde Sophoclem eius auctorem fuisse? Obiecerit quispiam etiam *Antigonam* e. g. *Septem* Aeschyleos continuare nec tamen eiusdem esse auctoris: necesse est peculiares quaedam coincidentiae accedant, de quibus infra agendum erit.

Interim ad notissimum Aristotelis in Arte poetica locum c. XXIII provocare libet, quo Iliadem cum Odyssea cyclo Troiano opponens illas vix singulis vel binis tragoediis materiem praebuisse dicit, Iliadem vero Parvam plus octo, quas continuo recenset: sunt autem hae: 1. Ὅπλων κρίσις, 2. Φιλοκτήτης, 3. Νεοπτόλεμος, 4. Εὐρύπυλος, 5. Πτωχεία, 6. Λάκαιναι, 7. Ἰλίου πέρσις, 8. Ἀπόπλους, 9. Σίνων, 10. Τρῳάδες. Auctorem non nominat, nec fieri potuisse negaverim, ut non de uno peculiari auctore, sed de tragoedia universa cogitaret. Attamen cycli praecipuus amator Sophocles iam apud antiquos perhibebatur, et quod ad Iliadem Parvam attinet, notandum est Aeschylum *Aiacis* fabulam secundum Arctinum, secundum Iliadem Parvam Sophoclem construxisse. Accedunt haec: 1. *Armorum* quidem *Iudicium* Aeschylus scripsit, sed in eodem argumento etiam *Aiax* Sophocleus versatur. 2, *Philoctetam* cum ceteris triumviris etiam Sophocles scripsit: 3. De *Neoptolemo* quaeritur, 4. *Eurypylum* ut nunc scimus, cum diu ignoraverimus, Sophocles scripsit idque solus, 5. Πτωχείας auctor ignoratur, 6. *Lacaenas* praeter Sophoclem nemo composuit, 7. sub Ἰλίου πέρσεως titulo minores tantum tragici, Iophon puta et Nicomachus, fabulas ediderunt, sed argumentum Sophoclis *Priamus* occupavit, 8. Ἀπόπλου titulo *Polyxenam* Sophocleam indicari Nauckius (p. 837) iam pridem animadvertit, 9. *Sinonem* solus scripsit

Sophocles, 10. *Troades* debemus Euripidi, sed Troades etiam Sophoclis fuerunt *Aechmalotides* quam fabulam eandem fuisse atque *Aiacem Locrensem* alio loco demonstraturus sum. Haec perpensa fidem faciunt Aristotelem cum catalogum suum componeret, Sophoclis potissimum indicem consuluisse eique etiam *Neoptolemum* attribuendum esse.

Ac ne hoc quidem negligendum est. Accium praecipue circa arctum triumviratus tragici orbem moratum esse tituli et fragmenta ostendunt, etsi non tam religiose, ut nusquam hos fines transgrederetur. Probabile est ergo etiam *Neoptolemum* eius alicui de tribus deberi: sed cui? Aeschylo non: habemus enim fabularum eius catalogum Mediceum, non sine lacunis illum quidem, satis tamen plenum. Eadem est Euripidis conditio, quem Albanus catalogus alphabeticus usque ad π litteram saltem a novorum titulorum irruptione paene vindicat, ut non dicam adeo frequenter lectitatas fuisse eius tragoedias, ut fragmentorum defectus nullo pacto explicari posset. Sophoclis contra nullus catalogus aetatem tulit, fabulae vero plures binis vel singulis fragmentis vel adeo titulis solis innotuerunt; hic ergo nova additamenta etiamnunc exspectari possunt, qualis fuit *Eurypylus* atque is de quo agimus *Neoptolemus.*

Adde quod ipse Sophocles *Neoptolemi* argumentum in *Philocteta* recapitulat: id eum in propriis fabulis aliquoties, in alienis nunquam fecisse animadverti, praeterquam semel in *Antigona* (355 sq.) Aeschyli magistri sui *Lycurgeae* hunc honorem tribuit.

Sufficere haec interim puto ad demonstrandum Sophocli nec cuiquam alii *Neoptolemi* fabulam vindicandam esse: ceterum etiam infra aliquot momenta ad hanc opinionem fulciendam allaturi sumus.

VII.

Interim latius evagari licebit. *Scyrios* Neoptolemum Scyro arcessitum pro argumento habuisse, ut supra monui, Engelmannus monstravit. Qui eum Scyro Sigeum adduxit, secundum Odysseam (λ 508) fuit Ulixes, cui tragicorum fama adiunxit Phoenicem, haud dubie Iliadem Parvam secuta (cf. Bethe, Homer II 248). Atque haec fuit ipsius Sophoclis in senili *Philoctetae* fabula sententia (344), non ita in iuvenilibus *Scyriis:* hic enim, ut ex Philostrato cum rudimentali eiusdem *Philoctetae* loco (562) combinato in „Tragodumenis" meis docui (p. 41 sq. 110 sq.), nullae erant Ulixis partes, Phoenicem Thesei filii comitabantur. Intererat nimirum poetae, ut Thesei laudes, qui in hac ipsa Scyro mortem oppetiverat, in hac fabula praedicarentur, quam ob hoc ipsum eo anno scaenae commissam putandum est, quo Cimon Thesei ossa Scyro Athenas advecta condidit, condita ludis honoravit...

Disquisitionem ordimur sane arduam. in qua mihi attentissimo lectore opus est adeoque tali, qui quae sit demonstrativa argumenti vis perspectum habeat. Potest enim quispiam statim ab

initio argumentationem meam reicere, cum dicat ne hoc quidem traditum esse, Thesidarum ullas partes in *Scyriis* fuisse, multoque minus constare eos cum Cimonis in Theseum pietate quicquam commune habuisse. Sed si hoc concesso tota aenigmatum series, ut statim apparebit, subitanea luce resplendebit, parumne hoc ad demonstrandum valere putabimus?

Pedetemptim tamen. Aetnam condidit Hiero: *Aetnaeas* scripsit Aeschylus. Archelaus Euripidem hospitio excepit: *Archelaum* scripsit Euripides. Scyro Cimon Thesei ossa advexit: *Scyrios* scripsit Sophocles, quem iuvenem Cimoni deditum fuisse scimus. Credo etiamsi nihil de argumento sciremus, unum ob titulum nos admissuros fuisse, extitisse tamen aliquod vinculum inter illum obscurae insulae honorem et fabulam ab hac ipsa insula denominatam. Quid autem, si ostendere possumus data opera poetam, cum hanc fabulam componeret, Ulixi Homerica traditione sacratas partes ademisse, adempta Thesidis dedisse? Si in fabulae fragmento, quod benigna nobis fortuna servavit, aperte ad Thesei mortem in illa ipsa insula oppetitam filiali pietate alluditur?

Ne haec quidem sufficere dixerit quispiam: esto. Ponat interim pro demonstrato, quod dico: quid secuturum sit videamus. Si enim Thesei a Cimone conditi anno — quem ego, ne litigiosus esse videar, satis latis terminis 470—462 includo — *Scyrios* docuit Sophocles, vivo etiamtum Aeschylo id fecerit oportet. Atqui non putandus est vivo magistro de trilogica eius ratione recedere potuisse; sequitur *Scyrios* partem fuisse trilogiae, primam haud dubie, nam de fabula quae praecedere potuerit, frustra quaesierimus. Quod si ita est, quae fabula eos continuaverit circumspiciendum est.

An *Neoptolemus?* — Aptiorem nemo invenerit: plane enim eos excipit, cum illic iuvenis ducis profectio, hic adventus propositus sit. Accedit tamen aliud idque gravissimum: potuitne secundum *Neoptolemi* argumentum ab Ulixe excitus esse heros? Hoc vero praefracte negabit quicunque attentiore mente rem sibi repraesentaverit. Si enim Ulixes Neoptolemum Scyro arcessivisset, iam Scyri de armis reddendis inter eos convenisset, quo facto nulla in castris Achivorum oriri poterat controversia. Testis est Quintus Smyrnaeus: apud eum enim Ulixes Neoptolemum Scyri adiit, adito (VII 194) Achillis arma promittit, promissa in Achivorum castris sine certamine restituit (VII 445): nec dubitandum est, quin ita iam Ilias Parva rem instituerit, quam Proclus paucis verbis ita coartavit: Νεοπτόλεμον Ὀδυσσεὺς ἐκ Σκύρου ἀγαγὼν τὰ ὅπλα δίδωσι τὰ τοῦ πατρός. Conflictus ut omnino exoriri posset, necesse est ad Troiam demum Ulixem de armis reddendis appellatum esse, quod ille primum iracundia iuvenis exacerbatus se facturum negavit, postmodo autem victa iam apud iudices causa liberaliter concessit. Nam quod in *Philocteta* Sophocles plus quinquaginta annis post ad Homericam mythopoeiam redit (344), non mirum est eum iuvenile suum inventum, quod olim datae

occasionis causa receperat, iamdudum praeterlapsa occasione abiecisse.

Iam si commune fuit hoc occasionale commentum et *Scyriorum* et *Neoptolemi*, etiam minus dubium videbitur eiusdem fuisse trilogiae et hanc et illam fabulam. Duas ergo partes invenimus: quaerenda est tertia.

VIII.

Et fuit tempus cum de *Eurypylo* cogitarem: et sane arcte eum illam *Neoptolemi* fabulam excipere nemo negabit, quin etiam ethicum inter ambas inesse nexum, eundem nimirum, sed inverso ordine, qui in Dracontomachia Schilleriana apparet — victoriam scilicet de seipso reportatam victoria in proelio coronaverunt dei. Postmodo autem hanc opinionem abicere sum coactus. *Eurypylus* enim cum in Mysia scaenam habeat — neque enim eum diversum fuisse a *Mysis* fgm. 378 ostendit (ἐφύμνει scribendum, non ἐφυμνεῖ) proxime ad *Eurypyli* fgm. 5 col. II ultimos versus accedens — Neoptolemo in sola nuntii oratione locum concedit: praeterea autem ad provectiorem Sophoclis aetatem pertinere et trimetri ars demonstrat et Istrianae mulieres, quas vix dubium est quin Herodoto (IV 78) debeat.

Sed in Iliadis Parvae epitomen inquirentem attendere iubent, quae bis iam exscriptum locum continuant verba: ...τὰ ὅπλα δίδωσι τὰ τοῦ πατρός· καὶ Ἀχιλλεὺς αὐτῷ φαντάζεται. Scilicet ut filio mandata tradat: ea vero quid aliud continere poterant, nisi ut Polyxena manibus eius sacrificaretur? — At nondum capta erat Troia. — Ita, sed captum iri noverat divinorum consiliorum particeps defuncti anima. — Poterat tamen captam exspectare. — Poteratne vere? Reminiscatur lector secundum mythopoeiam Sophocleam, quam Iliadi Parvae deberi vidimus, incrematum adhuc iacere Achillis corpus plane ut Patrocli in Iliadis XXIII: ibi autem mortui anima Achilli φανταζομένῃ negat se redituram esse postquam sepulcro fuerit functa (75) —

οὐ γὰρ ἔτ' αὖτις
νίσομαι ἐξ Ἄϊδαο, ἐπήν με πυρὸς λελάχητε...

Hoc ergo ex Homerica disciplina, quam Homeridae partim retinuerunt, partim ad popularem delapsi eschatologiam reliquerunt. Quos secuti ne tragici quidem poetae sibi constiterunt: velut Euripides in *Hecuba* ad Homerum se applicat, dum insepulti Polydori animam matri apparentem inducit, relinquit autem eius doctrinam, cum etiam Achillis dudum sepulti umbram super tumulum eius visam esse narrat.

Achillis enim φανταζομένου duplex extat in cyclo fama: altera ea, de qua modo dixi, cum Homero concors Iliadis Parvae: altera Nostorum τῶν δὲ περὶ τὸν Ἀγαμέμνονα ἀποπλεόντων Ἀχιλλέως εἴδωλον

ἐπιφανὲν πειρᾶται διακωλύειν προλέγον τὰ συμβησόμενα. Et haec est ea apparitio, quam etiam tragici tenuerunt, dudum scilicet sepulti herois ante ipsum ἀπόπλουν. Qua quin etiam de Polyxena mandata dederit tacente epitoma ex tragica tamen mythopoeia colligendum est.

Utut est, habemus pontem, quo a secunda trilogiae parte ad tertiam transitus paretur: ea enim nulla alia esse potuit nisi Sophoclis *Polyxena*. Cuius autem actio ex Euripidis *Hecuba* potissimum restitui potest, quae priore sua parte dimidia ex hac ipsa tragoedia pendet. Non huius est loci haec singillatim persequi: unum locum excerpere licebit, quo velut clavo trabali *Polyxena Scyriis* et *Neoptolemo* affigitur.

Chori enim anapaestis (98 sq.) Hecuba de Polyxena mactanda certior fit: Agamemnonem scilicet propter Cassandrae gratiam hanc barbariem procul esse habendam censuisse, Thesidas autem duplici oratione, una tamen sententia, concedendum esse Achillis manibus hunc supremum honorem. Ubi haesisse puto venustiores: cum enim spectatores una cum poeta detestari debuerint hoc ignominiosum Achivis, dolorosum reginae sacrificium, quid attinuit Atheniensium potissimum iuvenes duces, quos paulo ante in *Heraclidis* optima ex parte commendaverat, exsecrandi huius facinoris auctores inducere?

Scio hanc nuper inter philologos inclinationem extitisse, ut ubi minus poetas intellegerent, ne velle quidem intellegi poetas censerent: ego nec tantum mihi superbiae arrogo, ut omnia me intellegere putem, nec tantum modestiae, ut quae nondum intellexerim, intellegere me posse desperem. Velut hunc *Hecubae* locum, qui mihi semper molestus erat, iamdudum cruce signaveram, donec huius disquisitionis tramite ad intellegendum perductus sum.

Tota enim res ita se habet. Euripides Thesidarum impiam sententiam ex Sophoclis *Poly ena* mutuatus est: haec autem fabula trilogico nexu cum *Scyriis* et *Neoptolemo* coniuncta erat. In *Scyriis* vidimus Thesidas cum Phoenice Neoptolemum arcessisse: qui quoniam ab ipso opem postulabant, quid mirum, si et ipsi suam ei opem polliciti sunt? In *Neoptolemo* opus erat aliquo, qui iratum iuvenis animum ad moderationem revocaret: poterant hae Thesidarum — alterutrius scilicet — poterant etiam Briseidis partes fuisse, nec quicquam obstat, quominus et hanc et illos eodem tetendisse putemus, illos ratiocinatione, hanc potius per ἐλέου ἐσβολήν. Utut est, Neoptolemo obligaverant sententiam suam Thesidae, quo factum est, ut etiam in illa quae de Polyxena immolanda exorta erat lite ei patrocinarentur.

IX.

Ad primos poetae annos — eam igitur aetatem, quam Cimoneam vel Aeschyleam dicere possumus — referri *Polyxenam* etiam

allis de causis verisimile est. Achillis enim apparitionem ad hanc fabulam reservavit — recte illud quidem, cum arctiore vinculo coniuncta sit cum Polyxena mactanda, quam cum armis reddendis. At tum iamdudum igne erat consumptum Achillis corpus. Destituit igitur Homericam disciplinam? Ita, sed non omnino: quod enim disertissimum est de hac apparitione fragmentum per Porphyrium Stobaeo transmissum (480), licet corruptum sit, tamen testificari videtur non sua sponte venisse Achillis umbram, sed Neoptolemi ὀξυπλῆξι γόοις evocatam. Habemus ergo scaenam plane illius similem, quam Aeschylus in *Persis* repraesentaverat, cum Darium Atossae γόοις evocatum induceret. Adeo diligenter magistri vestigia pressit discipulus.

Hanc umbram Nostorum auctor Agamemnoni τὸ συμβησόμενον vaticinantem facit — fatum igitur, quod ei ab uxore immineret. Hoc idem igitur in Sophoclis *Polyxena* fecisee videtur: nihil opus erat Cassandra. Nam inter fabulae huius fragmenta hoc quoque servatum est (483):

χιτὼν σ' ἄπειρος ἐνδυτήριος κακῶν

quod plus uno nomine memorabile est. Haec est enim Aeschyli de Agamemnonis morte mythopoeia, non ea, quam postea idem Sophocles Homerum secutus in *Electra* — sed vix tum primum — adoptavit. Ne quis mihi autem obiciat post illum annum, quo *Polyxenam* totamque *Neoptolemidem* scaenae commissam posui, scriptum esse *Agamemnonem*, ne Aeschylus quidem in hac fabula primum hoc genus necis induxisse videtur. Nauplii certe in *Palamede* dirae id occupaverint neccesse est, de quibus „Tragodumenon" meorum liber tertius consulendus est. Euripides quidem, qui in *Hecuba* de Achillis apparitione chorum narrantem facit, hoc in Agamemnonem vaticinium non abiecit, sed Polymestori dedit (1281), Aeschylea tamen, ut qui a *Polyxena* penderet, mythopoeia servata.

Vides quantopere Aeschyleus fuerit Sophocles in hac iuvenili tragoedia; cuius pietatis si ei a sene magistro gratia relata est, mirum profecto non erit. Et quoniam Thesidarum magnas in tota trilogia partes fuisse ostendimus, non pigebit Aeschylei in *Eumenidibus* loci reminisci, quo Minerva quod sero Orestae imploranti responderit, eo excusat, quod interim erat (398)

γῆν καταφθατουμένη
ἣν δῆτ' Ἀχαιῶν ἄκτορές τε καὶ πρόμοι...
ἔνειμαν...
ἐξαίρετον δώρημα Θησέως τόκοις.

Nono post Troiam captam anno? Sed videlicet intererat poetae, ut huius rei mentionem renovaret, quam aptissime in ipso ἀπόπλῳ, id est in Sophoclis *Polyxena*, tractatam invenerat. Nolo huic coïncidentiae nimium tribui: inter alias tamen et eam afferre licuit.

X.

De *Neoptolemide* quae potui dixi: ad *Neoptolemum* redeo. Id enim restat, ut eius actionem in actus dispertiar: non quo hac dispertitione certitudinem attingi posse credam, sed ne talia finxisse existimer, quae Atticae tragoediae terminis includi nequeant.

Prologum Neoptolemi cum Phoenice et Thesidis adventum repraesentasse consentaneum est.

Parodum Myrmidonum Neoptolemi militum introitus efficiebat.

Episodio primo a militibus suis salutabatur iuvenis: οὐ παῖς Ἀχιλλέως, ἀλλ' ἐκεῖνος αὐτὸς εἶ. Quam salutationem Neoptolemi cum coryphaeo colloquium excipere debebat, quo armorum recuperandorum consilium in animo eius oriretur. Vincit tamen patri videndi honorandique desiderium.

Stasimum primum.

Episodio secundo per ἐκκύκλημα praetorium aperiebatur Achillesque in lecto stratus apparebat. Sequebatur Neoptolemi et Briseidis lamentatio.

Stasimo secundo Achillis laudes praedicatas esse probabile est.

Episodium tertium Ulixem inducebat de armis a Neoptolemo interpellatum eiusque ad summum imperatorem provocationem, qui audita utraque parte secundum Ulixem decernit: exacerbatio inde Neoptolemi.

Stasimum tertium has ipsas chori ad Tellurem Matrem preces continuerit necesse est, quarum in *Philocteta* memoria revocatur.

Episodio quarto Briseidis Thesidarumque in iuvenis contumaciam impetus fiebat: qui postquam ab ira ad moderationem revocatus est, ultro ab Ulixe patriis armis donatur.

Stasimon quartum chori laetitiam et gratitudinem exprimebat.

Exodo Neoptolemus adiuvantibus Briseide et Phoenice totoque choro patris exsequias instruebat.

Hanc reconstructionem quo quis voluerit loco, eo ponat: ego de singulis non litigabo, abunde contentus, si ignotam adhuc fabulam in universum recte visus ero poetae nostro vindicasse.

ANTHOL. LAT. 406 R.

Epigramma invehitur in quendam nefarium Pompeium Magnum e mortuis evocantem qui a poeta v. 2 *impius infandae religionis † apes* dicitur. Alii alia pro voce corrupta proposuerunt: Pithoeus *sacer*, Scaliger *aper* aut *sapor*, Riese *ope*. At patet sine ullo dubio verum proposuisse, qui legendum censuerit: *apex*, ut sensus sit: impius infandae religionis (scil. magiae) antistes, qualem in archimagorum, promagorum aliorumque personis reapse antiqui noverunt. Ex orthographiae parte nihil est quod huic coniecturae obicias, quia *x* et *s* medio aevo saepissime commutabantur (v. Ganszyniec, Brata Mikołaja z Polski Pisma lekarskie, Posnaniae 1920, 83 v. 67): ipse Boccatius scribebat *Exiodus* (Hesiodus), *Auxonius* (Ausonius) etc. Neque ex parte intellectus quidquam obstare huic interpretationi docet Thesaurus L. Lat. s. v. p. 228, 15 sq., qui plurima affert exempla, in quibus *apex* summam designat dignitatem. Ceterum libeat proferre coniecturam quis iste magiae antistes fuerit. Ipse insolitus vocis usus sequioris aevi proprius videtur, quamquam neque ab optimorum auctorum usu alienus est (cf. Hor. Ep. XVII 58). Attamen altera ex parte Pompeium tum solummodo evocatum esse quilibet concedet, cum factionis princeps, vel potius ἥρως ἐπώνυμος habebatur, nisi solam curiositatem in censum adducas. Talem curiosulum scimus Hadrianum imperatorem, qui a. 130 in Aegyptum profectus Pompei memoriam teste Dione Cassio LXIX 11, 1 restauravit: attamen si Hadrianus hanc necromantiam exercuisset, historici minime id siluissent. Quam ob rem in censum venit hic potius M. Scribonius Libo Drusus, Pompei pronepos et princeps factionis Tiberio oppositae, qui teste Tacito Ann. XII 27 sq. *facilis inanibus ad Chaldaeorum promissa, magorum sacra*, impulsus aut vanitate sua aut Tiberii invidia mortem denique sibi conscivit, quia *Iunius quidam, temptatus ut infernas umbras carminibus eliceret ad Fulcinium Trionem indicium detulit*.

IN PS.-THEODORI ADDITAMENTA.

Ps.-Theodorus quem nostro aptum usui reddere studuit Jos. Faney, De Ps.-Theodori Additamentis, Monasterii 1912, multis locis adhuc philologiae ope indiget: v. gr. p. 341, 12 (de muliere quae tarde parit) *scribes in charta pura, dextro femori alligabis; Helisabet peperit Iohannem bb.: aperi te mater illa eius, quia nomen facit quae parturit* etc. Pro *illa eius* W. Kroll (Rhein. Mus. LX 55) leg. proposuit: *illius* (= τῆς δεῖνος) *eiusque nomen facito* etc. Quae cum nimis a scriptura tradita recedant, iure merito a Fahney reiecta sunt. Codex mscr. hoc loco habet: *ille ius*, ex quo demum Rose editor, collato p. 341, 20 (*ad periculum si venerit... aliquis subito ille eius sive vir sive pater seu mater... occisus nuntietur*), fecit *illea eius*. Attamen utroque loco scribendum esse: *illeius* (= *illius*) non est cur dubitemus, qua de forma videsis Skutsch. Kl. Schr, 361, 1.

DE RATIONE PERSONARUM DESCRIBENDARUM IN PAPYRORUM ACTIS ADHIBITA

scripsit

FRANCISCUS SMOLKA.

Εὐμεγέθης, μελάγχρως, σπανοπώγων, οὐλὴ μετώπῳ μέσῳ (Petr. III 10) i. q. *procera statura, cute nigrante parce barbatus, naevus in media fronte* — en tibi unam ex typicis descriptionibus, quales saepissime in papyris offendimus. [1])

Propositum in disputationis inscriptione indicatum quamquam minime litterarum fata tangit, tamen nonnihil adiumenti scientiae, idque non solum papyrologae, adferre inferius patebit. Id enim elucubrabimus quod Francogalli vocant *signalement* quodque Latine breviter personae *descriptionem* dicere licet.

In Aegypto a Graecis Romanisque subacta uni cuique, licet nunquam ei res essent cum actis iudicialibus, subeunda erat descriptio facta ex officio, quam non inepte dicas notarum impressionem: id quod quarto decimo quoque anno fiebat, saltem aetate Romana: tunc enim incolae conscribebantur. Quod ut perficeretur, omnes sine discrimine sexus ex praefecti edicto domicilii loca adire iubebantur. Ex quo patet incolas praeter singulas declarationes scriptas oportuisse adire anno censorio magistratum patrium, ut describerentur. Id quidem indicat Lond. II p. 55, ubi invenitur mentio illorum, qui nequierint apparere die constituto et propterea postea descripti sint (ἀπαράστατοι ὕστερον εἰκονισθέντες).

Tabulis censoriis perlustratis descriptionem in uno quoque censu factam esse elucet. Quam ob rem descriptio personae magistratui est nominis pars, quae divelli nequeat: quo ipso explicatur, cur omnes non solum in censu declarando (ἡ κατ' οἰκίαν ἀπογραφή), sed in universum omnibus in rebus ad magistratum pertinentibus, praeter nomen descriptionem suam ex ultimis actis censoriis petitam adiungat.

Quod etiam cum delectus militum haberetur, descriptio tabulis inscriberetur posteaque in militum indicibus cum nomina tum

---

[1]) Hoc scito ante me idem tractasse argumentum: 1. Gradenwitz, Einführung in die Papyruskunde, Leipzig 1900, 126 sq.: minoris nunc pretii, cum postea demum praeclarissimae papyri in lucem darentur. — 2. Fürst J., Untersuchungen zur Ephemeris des Diktys von Kreta, in Philologo LXI 1902: quae dissertatio et nostram tangit rem, sed in falso nititur fundamento. — 3. Wilcken-Mitteis, Grundzüge der Papyruskunde, Lpz, 1912, II 1, 75, quae breviuscule quaestionem absolvit. — 4. Hasebroek Johannes, Das Signalement in den Papyrusurkunden (Papyrusinstitut Heidelberg, Schrift 3), Berlin — Lpz. 1921. quae lucubratio accurata sane ac praestans iureconsultos potius quam philologos respicit. — Ceterum papyros compendiis in Archiv f. Papyrusforschung usitatis designabo.

singulorum militum descriptiones curarentur et servarentur, luculentissimum testimonium praebet Oxy. VII 1022. Sed iam ad ipsas descriptiones transeundum est.

A. DESCRIPTIO GENERALIS.

In ducentorum quinquaginta documentorum numero sescentas sexaginta sex descriptiones inveni: diversissimae ergo personarum formae ob oculos versantur, id quod iam alii animadverterunt. Ita v. gr. scribit Hasebroek p. 27: „Zweifellos den interessantesten Bestandteil des ägyptischen Signalements bilden die der ptolemäischen Zeit eigenen Adjektiva zur Charakterisierung der äusseren Erscheinung der Person, die uns noch heute die Bewohner des Niltals in einer Lebendigkeit und Lebenswahrheit vor Augen führen, die ihresgleichen nicht hat".

Singulare profecto videtur quaedam adiectiva ac signa in quibusdam tantum papyris inveniri. Casu enim fortuito accidit, ut Berolinenses papyros ultimas perlustrarem: attamen nonne stupebis, quod in his papyris 28 inveni signa, quae frustra aliis in papyris quaeras? Ceterum descriptiones inveniuntur compendiis aut signis adhibitis factae, ut Lond. III 1166: μεσ° βρεχ μακρο$^{\pi}$ ○ μετω$^{\pi}$ μ$^{\varepsilon}$. At signum repertum in Flor. I 1. 3 ωο Vitelli explicat legendum οὐλή.

In hominibus describendis ut ratio et ordo quidam servetur, primum legis adiectivum staturam significans. Habes ergo voces βραχύς *humilis et brevis* (novies), ἐλάσσων ἢ μέσος *minor media statura* (quinquies), εὐμεγέθης *procerus* (vigesies sexies), μέσος *medius* (68-ies), den que μέσος ἢ ἐλάσσων (ter).

Primum igitur locum mediocris statura occupat, cum duodeseptuagies inveniatur: sequitur procera, videl. habitus magnificus ingentis Aegyptii latis humeris conspicui, qui nunc quoque apud nobiles offenditur omnibusque peregrinis summae est admirationi. Quibus opponuntur homines humili praediti statura, βραχεῖς, eorumque similes ἐλάσσους ἢ μέσοι atque μέσοι ἢ ἐλάσσους (una septies decies).

Tunc adiectiva sequuntur quibus cutis color signatur: in quibus primum obtinet locum, nam centies bis positum, adiectivum μελίχρους i. q. *mellei coloris*, qui cutis color adustae ob aestus solstitiales in Aegypto frequentissimus quodammodo naturalis dici potest. Pauciores tenui ac candente cuti conspiciuntur: λευκόχρους (sexies decies); denique habes cutem nigrantem ter decies: μελάγχρους, pro quo semel legis paulo immutatum (BGU 993) μελάγχρους ἡσυχῆ i. q. *fuscus*.

Tertium locum vulgo obtinent capilli aut barba. Depilatos, puros putos calvos, ἀναφαλάκρους, legimus 8: sinciput glabrum item 8 habent. Capillis longis, simpliciter comptis, τετανοί, sunt 32: perraris capillis, calviusculum dicas, ὑποφάλακρος, unus solum homo est inventus (Greek Pap. 20). Coma rubea vel rutila 5 homines insignes sunt.

Barba intonsa nil singulare prae se ferre videbatur, si ἀγένειος unus isque servus notatur, qui praemandatis requisitus est (Paris. 10). Perpauci, scil. tres, inveniuntur viri barba raris capillis conspicui, qui dicuntur κακο- vel σπανοπώγωνες. Fossulam in mento habentes κοιλογένειοι, duo homines descripti sunt.

Adiectiva ad universam corporis descriptionem pertinentia singulas quoque corporis partes includunt, quae partium descriptio in priore compositi parte locatur: ex ordine ea nunc enumerabo et explicabo.

1. Vultus. Vegetis, purpureo colore (ἐρυθρίας) perfusis genis tres homines in libellis commemorantur: plurimi vero (63) sunt μακροπρόσωποι, tumidis genis duo, longo vultu plures quam pro universo descriptionum numero exspectes, 11 enim significantur.

2. Frons. Unum atque solum adiectivum frontem describens reperimus adhibitum: μετωπίας quo homo lata fronte insignis notatur; id quod in sola Petr. III 5 b occurrit.

3. Oculi. Aegyptus omnibus temporibus est insignis multiplicibus oculorum passionibus. Cum igitur de singulis notis in oculo, superciliis, oculorumque angulis manifestis multa legamus, haec nobis, qui toties inflammatos oculos Aegyptiorum audimus, nulli sunt admirationi. Quin etiam nostra quoque aetate plurimos misellos conspicias pueros ac puellas in vicorum Aegyptiorum plateis ludentes, in quorum oculorum ulceribus foeda sanie manantibus muscarum examina insident. Quam ob rem nec mireris, quod saepius homines legas infirmis oculis his designatos adiectivis: ἀδύνατος ὄμμασι (Lond. 678), ἀσθενῶν τοῖς ὄμμασι (Paris. 5), ὑπόσκνιφος. In Oxy. 39 militis cuiusdam mentio facta est, qui propter oculi infirmitatem exauctoratus est.

Praeter morbi descriptionem alias oculorum notas indicatas legis, ut oculos caeruleos (Petr. III 4), parvis ac cavis (κοιλόφθαλμοι Lond. 3), subcaeruleis (χαροποί Petr. III. 11) superciliis coniunctis (σύνοφρυς) id quod, ut nostra aetate apud Persas, singularis pulchritudinis signum Aegyptiis habebatur. Inter alia notes et adiectivum κάκοφις bis occurens, quod Herwerden in Lexico supplementorio ita explicat: „Ambigo utrum significet: visu debilis an turpi facie": attamen quod supra commemoratos locos attinet, sine dubio visu debiles signat: a magistratuum enim actis nil longius abest, quam ut de singulorum hominum habitu pulchro aut turpi iudicent.

4, Nasus. Plurimum omnium occurrit adiectivum εὐθόρριν 54-ies lectum: secundum locum obtinent ἐπίγρυποι i. e. nasum corvi rostro similem habentes, denique duo nares acutas et subtiles (ὀξόρριν), singuli nasum in aquilae rostri similitudinem formatum (γρυπός), nares simas (ἔνσιμος) et crassas (παχόρριν) habentes.

5. Aures. Varia atque plura adiectiva ad aures describendas non existunt. Notabant aures prominentes (ἀφεστηκότα), quarum mentionem in 4 papyris factam invenimus: praeterea occurrunt

ὦτα μεγάλα aut composita μεγάλα καὶ ἀφεστηκότα. Hominibus magnis prominentibusque auribus praeditis opponitur homo quidam in Petr. III 19 auriculis arcte capiti adiacentibus (λοβοὶ ὤτων προσφυεῖς). Tres denique reperti sunt dextra aut sinistra auricula transfixa, quod veri similiter ornamentorum gerendorum causa fiebat (Greek Pap. 15 et Lond 882. 883).

6. Pedes. Unum atque solum adiectivum generale occurrit, scil. εὔκνημος i. q. Romani bona crura dicebant.

Quaedam adiectiva accuratiore indigent interpretatione, ut iure plura de his quam de aliis verba faciamus. Inter quae primum obtinent locum voces nec Stephani Thesauro nec Cangio nec Herwerdenio nota: σπογγωκέφαλοι et ὑπόκκινος. Nam quod posteriorem vocem attinet, Herwerden hoc tantum novit: „Adiectivum esse videtur vitium corporale significans."

Est quoque tanti quo de separatim verba fiant adiectivum nasi formam describens ἐπίγρυπος. Ps.-Aristoteles in Physiognomicis cap. 61 distinguit ἐπίγρυπον inter et γρυπόν: nimirum adiectivum γρυπός nasum aquilae rostro similem designat, ἐπίγρυπος autem dicitur nasus cuius forma a dextra aut sinistra spectanti corvi rostro similis esse videtur. — At χαροπός talem oculorum indicat colorem qualem prae se ferunt animalia in primis ad felium genus pertinentes. Iam Homerus K 611 hoc novit adiectivum. Romana tantum aetate adiectivum visum describens εὔσγλμος legitur. Philostratus V. Apoll. 33, 9 hoc adiectivum pro λαμπρός usurpat. Hasebroek hoc ita interpretatur: „durch seinen Glanz und sein Leuchten hervortretendes Auge" albisque de maculis post epidermatis oculi inflammationem coortis cogitare videtur.

Haqes denique adiectiva κλαστός et ὑπόκλαστος, quorum vis est incerta. Grenfell et Hunt (Teb. 32) nec non Kenyon (Lond. III 1209) reddunt vocem κλαστός voce anglica: *curly-haired (crispus)*: attamen Herwerden habentem rupturam hoc indicare putat. Hasebroek p. 29 autem utramque reiciens explicationem alia ratione quaestionem solvendam putat. Hac enim re nixus quod adiectiva κλαστός et ὑπόκλαστος in descriptionibus semper tertio occurrant loco, eodem scil. atque vox τετανός *(gracilis)*, infert utrumque adiectivum aliquid indicare quod cum voce τετανός intime cohaereat, scil. contrarium *crassus turgido corpore conspicuus*. Quae controversia difficillima est diiudicatu, cum in descriptionibus in ipso tertio loco praeter τετανός tot diversa adiectiva reperiantur, ut sunt ἀναφάλαντος (Petr. III 7), σπανοπώγων (Petr. III 10), μακροπρόσωπος (Oxy. 99).

B. DESCRIPTIO SPECIALIS.

Notas singulares in tres species dividere licet: 1. Notae tales ut βεβλαμμένος τὸν ὀφθαλμόν, quae adiectiva semper in actis iudicialibus adhibentur in descriptione generali, quamquam haec ad

notas singulares, ad alteram igitur descriptionis partem, pertinere patet 2. species οὐλή 3. species φακός.

Qui nulla est nota signatus, breviter ἄσημος appellatur, una excepta papyro Teb. 397, quae dicit οὐλὴν οὐκ ἔχουσα pro ἄσημος. Plurimi vero ἄσημοι dicuntur: nonnunquam dum plures ex ordine ἄσημοι leguntur, scriba singulis signis conscribendis immorari tanquam noluisse, et nisi quid nimis oculos offenderit, breviter adiectivo ἄσημος posito rem absolvisse nobis videtur. Quod adiectivum in 250 documentorum numero in 93 personis descriptis reperitur.

1. Signa primae speciei. Nulli est admirationi quod in ipsa Aegypto talia in primis adiectiva occurrunt, ut sunt βεβλαμμένος τὸν ἀριστερὸν aut δεξιὸν ὀφθαλμόν i. q: *oculo sinistro* aut *dextro captus* (Strasb. 52 et Lips. 2). Tum personae leucomate laborantes inveniuntur: λευκὸς ὀφθαλμῷ ἀριστερῷ (Teb. 397), λεύκωμα ὀφθαλμῷ ἀριστερῷ (Greek. Pap. 51), demum paululum paeti sequuntur: ὑπόστραβοι (Oxy. 256) aut ὑποστραβαιίζοντες (Petr. III 14).

Post oculorum passiones vitia manuum memorantur: κεκαμμένοι δακτύλους τρεῖς aut δάκτυλον μικρὸν χειρός i. q. homines quorum tres aut parvus digitus flexus et incurvatus est (CPR 170 et Teb. 397). — Semel denique de stigmatis cuti inscriptis mentio facta invenitur: servus scil. in pap. Paris. 10 notatur ἐστιγμένος τὸν δεξιὸν καρπὸν γράμμασι βαρβαρικοῖς.

Iam ad pedes transimus: duae personae in BGU III 997 et 998 commemoratae dextro pede claudicant: ἐπισκάζοντες τὸν πόδα δεξιόν.

Omnia haec signa minime ad consuetum atque ordinarium hominis habitum pertinere elucet: hanc ob rem in singularium notarum numero ea posui, quamquam ipsa papyrorum acta ea semper in descriptione generali collocant.

2. Signa speciei οὐλή. Iam ad maximam partem signorum transimus quae voce οὐλή adhibita notantur, in quibus describendis acta inauditam fere et diversitatem et subtilitatem adiectivorum adhibuerunt. Attamen haec recognoscenti simul apparet, quantum in illis actis argumentum formam superet: signum enim descriptioni generali adiungitur non curata syntaxi regendi casu nominativo. Testes antiqui a Stephano allati vocem hanc sola vi *cicatricis* acceptam noverunt: quam ob rem plures viri docti ita hanc vocem interpretantur *(cicatrix, Narbe, scar)*: verum cum diligentius hanc quaestionem perscrutatus essem, adductus sum ut crederem hanc vocem *naevum* in universum indicare: idque inveni plane ignorans Hasebroekium idem affirmasse. Quo facilius doceam huius vocis intellectum omnino esse dilatandum has rationes afferre liceat: 1. Haud facile credideris tot viros, feminas, pueros puellasque cicatricibus affectos esse. 2. Adiectivum ἄσημος non significat: *sine cicatrice*, sed in universum *sine signo speciali*. 3. Descriptionem οὐλὴ ὀδόντι in Greek Pap. 32 et Lips. 1 occurrentem haud posse *cicatricem in dente* significare concedes. 4. Item descriptio οὐλὴ ὀφθαλμῷ in CPR 102 non potest denuntiare *cica-*

tricem in oculo, sed potius *maculam*. Quam ob rem editor CPR hoc loco vocem οὐλή accipit vi: *Narbe* vel *Mal.*

In naevis enumerandis ordo membrorum servandus est. De uno quoque naevo separatim verba facere propter eorum copiam omnino a consilio meo abhorret: satis superque contenti erimus relatis solummodo saepissime occurrentibus plurimaque vi gravidis. In universum affirmare licet nullum exstitisse membrum quod in papyrorum actis sine naevo (οὐλή) descriptum sit; reperiuntur itaque naevi in fronte, in temporibus, oculis, naso, genis, labris, mento, collo, in scapulis, pectore, bracchiis, ulnis, in articulis manuum, in manibus, ilibus, femoribus, genibus surisque. Facile vero intellectu plurimos inveniri naevos in fronte; quod si omnes easque varias descriptiones in unum coegeris, ut sunt οὐλὴ μετώπῳ in universum, μετώπῳ μέσῳ, μετώπῳ ἐξ ἀριστερῶν, μετώπῳ ἐκ δεξιῶν, μετώπῳ ἀριστερῷ et δεξιῷ, μετώπῳ μέσῳ ὑπὸ τρίχα, μετώπῳ ἀριστερῷ ὑπὸ τρίχα, μετώπῳ ὑπὲρ ὀφρύν — ea magnum profecto numerum 97 efficere vides.

Plures item naevi in supercíliis quam in ipsis oculis inveniuntur, scil. 35: quae descriptionum minutiae vix atque vix unquam superari possunt; inter alia haec invenies indicata: οὐλὴ ἀνὰ μέσον ὀφρύων, ἐπ' ὀφρύι δεξιᾷ, ἐπ' ὀφρύος ἀριστερᾶς, ὀφρύι ἀριστερᾷ, et δεξιᾷ, ὀφρύι δεξιᾷ ἄκρᾳ, παρ' ὀφρὺν δεξιάν, ὑπὲρ ὀφρύος, ὑπὲρ ὀφρύος δεξιᾶς, ὑπὲρ ὀφρὺν ἀριστεράν.

Subtilem etiam atque accuratam oculorum descriptionem invenis, ubi dictum legis, v. gr. οὐλὴ κανθῷ ὀφθαλμοῦ δεξιοῦ vel παρὰ κανθὸν τὸν ἐκτὸς δεξιοῦ ὀφθαλμοῦ.

Naevus in naso 21 vicibus notatur, idque duabus vocibus adhibitis ῥίν et μυκτήρ; at saepissime scriptum reperitur: ῥινὶ μέσῃ.

Ulna ex ordine sequitur, quae dicitur πῆχυς vel ἀγκών, et 23 vicibus signum ostendit. — Manum vero papyrorum acta summa cum diligentia descripsisse videntur: nam ne unus quidem digitus dextrae aut sinistrae manus quodam suo naevo caruit. Quomodo antiqui digitos appellaverint, luculentissime docet Plato Rep. VII 523 C, ubi haec legimus: τρεῖς ἂν εἶεν δάκτυλοι· ὅ τε σμικρότατος καὶ ὁ δεύτερος καὶ ὁ μέσος. Quibus ex verbis colligitur digitum qui πρῶτος dicitur pro minimo poni, quem postea dixerunt auricularem; obiter commemoro digitum paenultimum, quem anularem vet medicinalem dicimus, in papyris dici sive δεύτερος sive παράμεσος. Plurimi naevi speciales in digito minimo manus sinistrae conscriptae sunt, scil. 22: index vero (λιχανός) dimidium numerum attingit, pollex quater memoratur, ceteri bis. Animadversione dignum videtur, quod in sola papyro BGU 834 in 12 personarum numero 5 naevos in digito minimo gestant, in pap. vero Flor. 52 in 11 personarum numero 6 naevos in indice habentes notantur.

Insolita atque invisitata personarum copia, scil. 62, naevos in crure circumfert: eo magis hic stupebis, si animadverteris in

his descriptionibus singularem quandam diligentiam adhibitam esse, quamquam nobis quidem hi naevi difficillimi conspectu videntur. Ita reperis notatum praeter indicatum generale οὐλὴ ἀντικνημίᾳ vel ἀντικνημίῳ tale signum, ut παρὰ ἀντικνημίῳ ἐξ ἀριστεροῦ, ὑπὲρ ἀντικνημίῳ δεξιῷ et ὑπ' ἀντικνημίον δεξιόν. Eadem prorsus decere licet de descriptione οὐλὴ γαστροκνημίᾳ, quam legimus decies quater varie conceptam: hic quoque habes v. gr. ὑπὸ γαστροκνημίαν ἀριστεράν vel παρὰ γαστροκνημίαν δεξιάν. Ad quae similes si accedent descriptiones, quae licet minore numero reperiantur, non minus insignes sunt, ut οὐλὴ γόνατι, ὑπὲρ γόνυ, ὑπὸ γόνυ (una 26 vicibus), στέρνῳ, μηρῷ, κνήμῃ, ἀστραγάλῳ ποδός iam inquirendum est, quid hac de re nobis sit sentiendum. Naevi enim alicuius rei gratia conscribuntur: quod si consilio factum concedes, necesse est conspiciantur et facile animadvertantur: quod si infers non ubique hos naevos esse conspiciendos, saltem concedendum tibi erit, illos potuisse cerni. Nemo vero infitias ibit, naevum in descriptionibus notatum tum demum rei consilio respondere, si facile primoque ut ut ita dicam obtutu oculis se obiciat, idque omni temporis momento: cui fini optime concordare naevos in fronte, vultu, manibus notatos patet. Ceterum omnino magis conspicui naevi primum obtinebant locum, id quod maximus naevorum in vultu signatorum numerus confirmat. Minus huic correspondere videntur condicioni alii naevi, ut sunt ἀντικνημίῳ ἀριστερῷ vel ἀστραγάλῳ ποδὸς ἀριστεροῦ vel γαστροκνημίᾳ ἀριστεροῦ ποδός, qui ut conscriberentur aut conspicerentur, accuratiorem scrutationem exigebant. Hanc ob rem Gradenwitz p. 126 sq. dubitat naevos ad ipsam descriptionem de iure pertinere. Attamen ipsa morum diversitas hanc quoque quaestionem aptius explicare videtur. Liberiores enim scimus mores in Aegypto et in universo oriente: huc accedit praeterea caelum, pro cuius qualitate aliae sunt vestium formae: insuper calcei maximam partem desunt. Satis hoc loco commemorare usitatissimam vestem late fluentem et delicate tenuem, quam dicebant μαφόρτης. Fueritne autem vestis tam tenuis, ut ipsi naevi in corpore perspicerentur?

3. Signa speciei φακός (= verruca). Si numerus huius speciei cum numero superioris comparatur, exiguus profecto apparet: simul enim sumptas eiusmodi descriptiones 18 inveni, quarum ne una quidem saepius quam semel legitur. Praeter generale dictum: φακοὶ πλείους et φακὸν ἔχων haec reperiuntur: iuxta aurem (παρὰ τὸ δεξιὸν οὖς), in bracchio sinistro, in genis, inter supercilia, iuxta supercilium sinistrum, iuxta nasum ex parte oris sinistra, in naso, in colli sinistra aut dextra parte, supra supercilium dextrum, infra dextram labri partem, infra oculum dextrum.

At non solum in eis quae ad aetatem indicatam pertinent, id quod infra patebit (cf. p. 11), sed etiam in naevis describendis papyrorum fides incerta cernitur. Eadem enim ipsa persona in diversis actis diversa signa habere scribitur. Sic idem homo in

pap. Flor. 14 naevum habet in ἀντικνημίῳ ἀριστερῷ, in pap. vero Flor. 53 ἀντικνημίῳ δεξιῷ.

Nemo quidem hoc accidere posse dubitabit neque quidquam prohibet quo minus homo idem sit cognoscatur et probetur: attamen nullius bono ordo turbatur. Iam multo peius fieri videmus, si plures personae in uno eodemque libello descriptae eundem gerunt naevum: tunc enim abutendi hac similitudine facultas datur. Sic v. gr. in BGU 834 quinque personae naevum in minimo sinistrae digito habent, in BGU 1016 et pater et filius ῥινὶ μέσῃ notantur.

Cum iam omnes descriptiones in papyrorum actis inventas perlustraverimus, facile nunc ambagibus positis probare licebit, quanti hae descriptiones superent eas, quae nostris temporibus inscribuntur in litteris patentibus quas dicunt, in quibus secundum normam quandam omnes sine ullo fere discrimine aliquot adiectivis positis describuntur, quae ut plurimum veritati repugnant. Constat enim in nostris descriptionibus has partes describi: 1. staturam, 2. faciem, 3. capillos, 4. oculos, 5. os, 6. nasum, 7. naevos: id quod secundum unam semel praescriptam normam fieri solet, in qua perpetuum fere ac consecratum: *proportionalis* recurrit.

Maxima actorum pars continentium descriptiones, quae ad nostra usque tempora permanserunt, I et II saeculo conscripta sunt. Certe ex ipso numero actorum exhibentium descriptiones comparato cum numero actorum iis carentium quidquid colligitur, summa cum cautela accipiendum est: attamen unum pro certo affirmare licet, maiorem servatorum documentorum partem omni carere descriptione. Quantum ad matrimonii contrahendi pacta, Hasebroek ostendit hac proportione alterutrum occurrere, ut est 80 : 10. Unde *efficitur descriptiones non fuisse omnino necessarias*: ex officio fiebat nonnullis fortasse aetatibus.

Ipsi celeriter acta percurrenti duo descriptionum genera occurrunt: scil. descriptionem longam et breviorem. Descriptio longa indicat: aetatem et accuratissime descriptum personae habitum, i. e. ipsam descriptionem generalem et unum aut plures naevos aut signa. In breviore vero descriptione aetas sola et naevi singulares traduntur. Recentiorum lucubrationes effecerunt longiorem descriptionem reperiri solis tribus a. Chr. n. saeculis, quam ob rem non male Hasebroek eam Ptolemaeam nominavit. At antiquissimum brevioris descriptionis exemplum speciei ὁλῇ anno nono p. Chr. n. scripta reperitur, quam ob rem Hasebroek talem iure merito Romanam appellavit. Sine dubio haec quidem species frequentissima est primi saeculi p. Chr. n. temporibus, licet Ptolemaea quoque species compareat. Documentorum secundo p. Chr. n. saeculo scriptorum et Ptolemaeam descriptionem continentium numerus comparatus cum documentis Romanas exhibentibus descriptiones multo magis est exiguus quam numerus primi saeculi: iam tertio saeculo descriptio Ptolemaea qua erat ubertate atque

abundantia, nulla reperitur, eademque brevis descriptio IV et V saec. sola recurrit.

Semper fere descriptio acti initio ponitur. Eiusmodi praeambuli descriptionem continentis exemplum praebet v. gr. testamentum a. 123 p. Chr. n. factum (Teb. 381): 'Ομολογεῖ Θαῆσις 'Ορσετούφεως τοῦ 'Οννώφρεως μητρὸς Θενοβάστιος ἀπὸ τῆς προκειμένης κώμης Τεβτύνεως ὡς ἐτῶν ἑβδομήκοντα ὀκτὼι (sic) οὐλὴι (sic) πήχει δεξιῷ μετὰ κυρίου ...ὡς ἐτῶν εἴκοσι ἑπτὰ οὐλὴ μεσοφρύῳ συνκεχωρηκέναι... τὴν ὑπάρχουσαν αὐτῆι... οἰκίαν. Si quid aliud requirens et celeriter papyrorum acta vertens hac earum parte impeditum te conspexeris, quae propositi mei summam efficit, mox rei ut ita dicam nugis atque inanitate descriptionumque ut videri possit maxima inter se similitudine morose affectus eas praetermittes: at certe quantum errabis! In 15 enim papyrorum collectionibus, quae mihi in bibliotheca Leopolitana praesto erant, ipsius speciei οὐλή plus quam 100 exempla inveni. Si vocem οὐλή cicatricem indicare contenderis, id quod sine dubio in multis exemplis necesse est interpretemur, tum copia et varietas cicatricum Aegyptiis quodammodo singularis ac propria videtur. Quomodo hoc intellegendum est? Hasebroek p. 116 putat cicatrices esse signa quae post frequentissimas in illis regionibus cutis morbis remanserint. Attamen nonne maiorem cicatricum numerum produxerit alacritas prompta ad rixas et cruentos congressus, quorum plurimos papyrorum acta enarrant? Idque praesertim ad Alexandrinos pertinet, quibus minime laudi quae de iis Polybius tradidit. Schubart, ubi Aegyptiorum vitam describit [1]), inter alia refert, eos ex improviso rixari et manus conserere: haec ipsius verba p. 139: „Die ewige Unruhe, die Sucht nach dem Wechsel, nach der Aufregung wurde zum Merkmal der Stadt: wo irgend etwas los war, rotteten sie sich zusammen, nicht nur die Männer, sondern auch die Kinder und die Weiber: ehe man sich's versah, ohne dass man wusste weshalb, begann der Strassenkampf, in den Umwälzungen der Ptolemäerzeit verschärft durch die Söldner und die Makedonen, die hüben oder drüben Partei nahmen, während unter römischer Herrschaft die Legionen gewaltsam die Ordnung herstellten. Um nichts, um eine heilige Katze, die ein Römer versehentlich totschlug, empörte sich dies Volk, das von seinen Leidenschaften zügellos verfiel: die Misshelligkeiten zwischen Hellenen und Juden führten hier sogleich zum Blutvergiessen."

Sed ut ad propositum revertar, videamus unde haec descriptionum copia ac varietas petenda sit.

Ipsa quidem res primo aspectu levis atque inanis videri possit. Sed ne temerario iudicaveris: antiquorum enim nominum imponendorum mos multa habebat, quae improbaveris. Hoc colliges ex ea, quam in meo de scholis Graecis in Aegypto libro c. t.

---

[1]) Schubart Wilhelm, Aegypten von Alexander dem Grossen bis auf Mohammed, Berlin 1922.

Szkolnictwo greckie (Leopoli 1921) p. 109 discussi papyrum Teb. II 316, ubi adolescentes iure iurando astricti declarant se nunquam abusos esse homonymia: μὴ ἀλλοτρίᾳ ἀπαρχῇ μηδὲ ὁμωνυμίᾳ κεχρῆσθαι. Illis ergo temporibus descriptiones multo maioris erant momenti quam nunc eo maxime quod nomina parum accurate erant distincta: quamquam et nostra aetate ubi vitae cultus est rudior et incomptior, ut fit apud rusticos et agricolas, maior signorum copia in nominibus, quae cavillationis speciem prae se ferunt invenitur. Ut brevibus dicam: quod personae distinctissime et amplissime descriptae sint, ex quadam nominis antiqui egestate provenit. Aegyptiorum nomen cum ex uno constaret vocabulo, porro prohibendum erat actis iudicialibus, quo minus fraudes fierent, id quod signis naevisque descriptis aptissime procurabant.

Nos ergo descriptionem ex quadam necessitate ortam putamus postulatisque rerum optime respondisse: longe aliter de eodem sensit Fürst in dissertatione sua „Untersuchungen zur Ephemeris des Diktys von Kreta", qui has descriptiones imagines docte compositas (litterarische Porträts) esse putat. Cum a. 1902, quo dissertationem suam edidit, plurimae eaeque gravissimae papyrorum collectiones nondum in lucem editae essent, Fürst materiae penuria magna ex parte excusatur. At ingeniosa eius opinio digna est quae accuratius cognoscatur. Deducit enim rationem descriptionis in papyrorum actis adhibitam ex pingendi consuetudine antiquorum Aegyptiorum propria. Quam sententiam confirmat mortuorum imaginibus, quae ad nostram aetatem manserunt: hic enim, ut eius verbis utar (p. 398), maxime conspicitur „das Streben nach individueller und realistischer Darstellung". Quae ars primo videretur in testamentis, scil. ut sit ibi „ein dokumentarisches Aequivalent gegen die zerstörende und vergessenmachende Gewalt des Todes." A testamentis demum hunc morem transisse ad alia documentorum genera, in primis ad contractus et acta iudicialia. Quamquam et Graecorum animis pingendi et formarum exprimendarum studium penitus insitum est: tamen nunquam certos fines excesserunt. Idem iam Dio Chrysostomus observavit (Or. XXI p. 508 sq.), dum Homerum propterea laudat quod ultra hos fines nunquam progressus sit. Saeculo demum quarto a. Chr. n. apparent nuntii indicantes artis pingendi principia et scriptores maiorem in modum infecisse. Iam aetate Alexandrina plurima apparent vestigia talium personarum descriptionis, quae plurima plane exempla descriptionis Aegyptiae habere possis.

Has opiniones, quas Fürst protulit, falsas esse patet. Quis enim unquam putaret in Aegyptiorum turba tot artifices pictoresque fuisse? Variis pagorum scribis aut publicis tam sublimem artis sensum ascriberet? Ceterum ne Fürst quidem sibi ipsi constat dum p. 379 formalia principia primas vices obtinere contendit, et identidem affirmat, idem exemplar ab omnibus observatum atque exscriptum esse. Iure ergo merito et Hasebroek Fürstii opinionem

recusavit, iisdem innixus rationibus quas modo exposui. Praeterea convenienter innuit et nostra aetate debile ac labans esse fundamentum in agnoscenda persona eadem sit necne, nitimur enim maximam partem in testium fide: at in Aegypto scriba publicus hoc auxilio carebat, quam ob rem quam fidissimam hominis imaginem describebat, ut hominem eundem esse demonstraret. Quam sententiam Hasebroekii summe approbat Leuze, qui censoris vices gessit in Orient. Literaturzeitung XXVI fasc. 9, qui ceterum quaestionem qua in regione descriptio personarum excogitata sit, supervacaneam esse putat, cum ipsa necessitas hanc induxerit, ubicunque ordo publicus ac cultus humanior regnarent. Neque mirum in actis ubi id in primis erat necessarium, tales descriptiones inveniri. En tibi exemplum talis descriptionis (Petr.III 2): βραχύς, μελίχρους, ἀναφάλαντος, στρογγυλοπρόσωπος, οὐλὴ ἐπὶ μήλου παρ' ὀφρὺν ἀριστερὰν καὶ ἄλλη μετώπῳ μέσῳ καὶ ἄλλη μετώπῳ ὑπὲρ ὀφρὺν δεξιάν. Frustra hic modum atque formam a magistratibus adhibitam quaeras: acta vero iudicialia tantum accuratissimae descriptioni tribuebant, ut nonnunquam maiorem partem quam pro totius documenti volumine exspectes, eam obtineat.

At certe mireris idem schema et ad animalia describenda esse adhibitum. Accidit vero hoc in emptionumque actis, cum pro animalibus ut pro aliis mercedibus portorium aliaque tributa erant solvenda. Exemplo sit tibi pap. Gen. 20 a. 137 p. Chr. n.: Ὁμολογῶ πεπρακέναι σοι καμηλον θηλείαν, πρωτοβόλον, κεχαραγμένην, δεξιῷ μηρῷ καὶ δεξιᾷ σταγόνι ἀραβικῷ χαρακτῆρι.

Alia ratio cur antiqui tantum personarum descriptioni tribuerint, quae a nobis plerumque parvi penditur, cur tam subtilia distinxerint, certe est id quod carebant imaginibus lucis ope factis, quae nostra aetate in descriptionis locum successerunt. Quanti enim papyrorum acta descriptiones fecerint, testatur BGU 834, in qua unaquaeque duodecim personarum suam habet descriptionem, cuius hoc sit exemplum: 1. οὐλὴ ἀνωτέρω ἀστραγάλου δεξιοῦ ποδός, — 2. οὐλὴ ἐπὶ μήλου παρ' ὀφρὺν ἀριστηράν, — 3. οὐλὴ ἐπὶ γείλους τῷ κάτω ἐκ δεξιῶν, — 4. οὐλὴ κανθῷ ὀφθαλμοῦ δεξιοῦ, — 5. οὐλὴ μετώπῳ ὑπὲρ ὀφρὺν δεξιάν, — 6. οὐλὴ μετώπῳ ἀριστερῷ ὑπὸ τρίχα, — 7. οὐλὴ παρ' ἀντικνημίῳ δεξιῷ ἐξ ἀριστεροῦ, — 8. οὐλὴ παρὰ κανθὸν τὸν ἐκτὸς δεξιοῦ ὀφθαλμοῦ, — 9. οὐλὴ ὑπὲρ χαλινὸν ἐξ ἀριστερῶν, 10. οὐλὴ ὑπὸ γένειον δεξιόν.

Cum personarum descriptio subtilissime accuratissimeque perficeretur, ipsa aetatis statuendae ratio minimae curae fuisse videtur. Quod ut intellegamus, respiciantur dicta eiusmodi ut in CPR 21 ὡς ἐτῶν τοσῶνδε, aut Lips. 28 ὡς ἐτῶν ι πλείω aut BGU 316 ὡς ἐτῶν δέκα τεσσάρων μικρόπλεον et in universum consecratam aetatis indicationem in usum adhibita formula, ὡς ἐτῶν. Nos enim accuratissime diem, mensem, annum nativitatis indicare solemus: contra papyrorum acta quot quisque annos natus sit definiunt. Attamen quae fides his indicationibus adhibenda sit, Hasebroek

p. 105 aliquot exemplis adductis demonstravit, quorum aliqua saltem hic commemorare iuvat. Quidam Panobchunis secundum Lond, III 879 a. 123 a. Chr. n. natus est annos 40: secundum vero Strasb. 81 a. 115 a. Chr. n., octo ergo annis post, iam 55 annos natus est, at secundum Strasb. 87 a. 107 a. Chr. n., iterum ergo octo post annis, solummodo 60 annos.

Iam quaeratur oportet in quibus qualibusque actis descriptio inveniatur. In universum nullum est actorum genus, ubi descriptionem non offendas. Nam in 250 documentorum, quae scrutatus sum numero, 50 fere actorum genera descriptiones exhibentia sunt. In primis autem duobus in actorum generibus reperiuntur: 1. in quibusvis actis in magistratus usum confectis, 2. in conctractibus. Quantum ad genus prius pertinet, primum certe locum obtinent acta, in quibus quae vectigalia solvenda sint exponitur, quae et αἱ κατ' οἰκίαν ἀπογραφαί dicuntur. Antiquissimus id genus libellus est Greek Pap. 45 a. 19 a. Chr. n. Attamen nulla vectigalium solvendorum causa facta declaratio Ptolemaicae aetatis personae descriptionem profert. Qua ex re efficitur magistratum demum Romanum in actis censoriis dictis κατ' οἰκίαν ἀπογραφαί descriptionem poposcisse, licet excipiantur nonnulla, ut BGU 115. Sed ne legentem remorer, aliquot tantum documentorum genera perlustrabo, in quibus descriptio reperiatur. Continent ergo personarum descriptionem: 1. adoptionis formulae, 2. donationum acta, 3. vadimonii, 4. repudii, 5. pacta de agris locandis et conducendis, 6. emptionis ac venditionis, 7. matrimonialia, 8. pacta de locandis domibus, 9. contractus cum officinarum dominis facti, 10. cum textoribus de tironibus accipiendis et erudiendis, 11. acta deposita aliquem accepisse testantia, 12. apochae pecuniarum pro locatione solutarum, 13. item debita reddidisse aliquem signantia, 14. de hypothecis obligandis, 15. syngraphae, 16. incolarum indices, 17. acta ad tutelam pertinentia, 18. testamenta.

Testamenta descriptiones exhibentia habemus ex a. 236 a. Chr. n. usque ad a. 295 p. Chr. n. Antiquissima sunt testamenta militum quae vocantur in papyris Petrie III 1 (2) et 10. Semper est descriptio addita legantis et testium: econtra, duobus exemplis exceptis, heres non describitur, cum haud credendum sit, heredem se ipsum iniuria affecturum, qua ex re postea petatur. Describitur autem is qui dicitur ἐπίτροπος i. q. testamenti exactor, qui a morientе liberorum tutor constitutus est, quia hic aliquando officio suo abdicare potuit: verum haec ratio neque una neque ubique vera est, cum moriens s e m p e r describatur, quamquam fidem fallere mortuus non potest. Simili e ratione in actis quoque ad mensam publicam pertinentibus quae διαγραφαί dicuntur, solus accepturus describitur, dum is qui pecuniam solvit nusquam descriptus legitur. Cuius causam iam Gradenwitz p. 129 optime explanavit: persona enim pecuniam solvens mensae nota est; praeterea tradentis minime interest, negare se tradidisse pecuniam.

Emptionis vero contractus et venditionis diversi sunt: alii enim tradunt descriptionem solius vendentis, alii solius ementis, alii vero utriusque (BGU 997 et 998). Quae diversitas non uni, sed omnibus aetatibus propria est, neque sua certa ratione destituta esse videtur. Aliquando enim venditor is est, qui postea aliquid ab emptore postulat ac poscit, immo aliquando ipsum venditionis contractum irritum declarare potest. Quae impediuntur addita descriptione v e n d i t o r i s. Inter hanc formam et descriptionem utriusque existit quaedam forma media, secundum quam venditor ample, obiter vero emptor descriptus est (v. gr. BGU III 997).

In contractibus matrimonialibus semper mariti descriptio datur, saepissime etiam uxoris eiusque lege constituti tutoris. Omnes hi contractus exhibentes descriptiones aetatis sunt Romanae.

Quantum attinet pacta debitoria et gravioris momenti, descriptiones iis adduntur, quamquam non carent exceptionibus ut Eleph. 1 vel Hib. 90. Parvulae acceptorum lationes et apochae, ut de vectigali cerevisiae soluto (Hib. 107) aut balneorum (Hib. 108) descriptionem non habent.

Denique quo antiquiora sunt documenta, eo frequentiores et ampliores sunt descriptiones. Mireris sane fabulosam plane ac superabundantem temporis et aliorum generalium rerum indicationem in documentis vetustioris aetatis Ptolemaicae. Contra sequioris aetatis byzantinae et arabicae acta non habent descriptiones. Facile ea cognosces ex formula qua incipiunt; Ἐν ὀνόματι τῆς ἁγίας καὶ ζωοποιοῦ τριάδος, πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος. Maior descriptionum pars est aetatis Romanae, dum aetate Ptolemaeorum descriptio non invenitur nisi in contractibus venditionis et emptionis, mutuo datorum, agrorum divisionis, donationum, alienationis, agrorum venditionis, testamentis. At cautum hic esse in sententiis ferendis oportet, cum plurima documenta sint aetatis Romanae.

Aliquando si quid extraordinarium accidit descriptio mirum quantum sit subtilis ac distincta: id quod in praemandatis quibus servus fugitivus requiritur accidere solet: exemplo horum quaedam accurate indicantur, ut sunt color, vestis, pecunia quam casu fortuito secum tulit etc. Ceterum ipsum legas textum: ἀνακεχώρηκεν... ᾧ ὄνομα Ἕρμων, ὃς καὶ Νεῖλος καλεῖται, τὸ γένος Σῦρος ἀπὸ Βαμβύκης ὡς ἐτῶν ιη, μεγέθει μέσος, ἀγένειος, εὔκνημος, κοιλογένειος, φακὸς παρὰ ῥῖνα ἐξ ἀριστερῶν, οὐλὴ ὑπὲρ χαλινὸν ἐξ ἀριστερῶν, ἐστιγμένος τὸν δεξιὸν καρπὸν γράμμασι βαρβαρικοῖς κτλ.

Iam nostra dissertatione haec effecta vides:

1. Quae personarum descriptio fuerit in Aegypto Graecoromana nunc perspectum habemus.

2, Typos vetustioris Aegypti anthropologos indicavimus.

3. Signorum formam ac genera novimus.

4. Quid inter Ptolemaicam et Romanam descriptionem intersit definivimus.

5. quid vox-οὐλή designet explanavimus.

6. Quomodo descriptio orta sit quidque intendat nunc patet.

7. Denique quid descriptio, quae alterius tantum contrahentis descriptionem exhibeat, significet et quomodo orta sit, pluribus ostendimus.

Atqui haec non ad philologum solum, verum et ad iureconsultum, anthropologum, historicum pertinere apparet, ita ut maioris sane momenti descriptio evadat et digna, cui maiorem in modum operam navemus.

DE PASSERE CATULLIANO.

Lepidissimum poetae Venusini carmen iam antiquorum ingenia exercuisse apparet, quae iocosam ac facetam potius, quam seriam ac veram illic allegoriam latere perhibuerunt. Quam explicationem temporibus recentibus primus protulit Angelus Politianus (1454—1494) in Miscellaneorum cap. 6 inscripto: *Quo intellectu Catullanus passer accipiendus*, ubi haec disserit: „Passer ille Catullianus allegoricos, ut arbitror, obscoeniorem celat intellectum, quem salva verecundia nequimus enuntiare, Quod ut credam Martialis epigrammate illo (XI 6) persuadet, cuius hi sunt extremi versiculi:

> Da mihi basia, sed Catulliana:
> Quae si tot fuerint, quot ille dixit,
> Donabo tibi passerem Catulli.

Nimis enim foret insubidus poeta — quod nefas credere — si Catulli passerem denique ac non aliud quidpiam, quod suspicor, magis donaturum se puero post oscula diceret: hoc quid sit, equidem pro stili pudore suae cuiusque coniecturae de passeris nativa salacitate relinquo". Eandem sententiam profert ibd. cap. 96 p. 306, cum Martial. VII *murem* pro *vita* reponens, „quaeri vero potest, inquit, quo intellectu puella blandiens amatori murem eum vocet: an eodem quo etiam passerculum solet. Quia mures quoque perhibentur salacissimi". Hanc opinionem Politiani auctoritas omnibus persuasit: ipso vivente ei adsensit Hermolaus Barbarus, patriarcha Aquileiensis, dissensit fortasse Merula. Tamen communis ad nostra fere tempora permansit: eandem suadent v. gr. adhuc Forcellinus et qui posteras eius lexici editiones curaverunt.

Nunc vero haec sententia vix sectatores habet. Sed qui verum passerem esse credunt, dissentiunt inter se sitne ille passer quem nos novimus an alia species cognominis. Nostrum passerem esse posse suadet factum ostendens passeres aliquando foveri, id quod dicit v. gr. epistola Francisci Morawski, exulis poetae, Wologdae conscripta a. 1831: passeres esse raros inque caveis fotos (L. Siemieński, Żywot Fr. Morawskiego, Poznań 1867, 128: wróble są rarytesy w klatkach trzymane).

LES PROBLEMES MYCENIENS ET LES TEXTES HITTITES

par

STEFAN PRZEWORSKI.

Le déchiffrement de la langue hittite accompli depuis plusieurs années et la lecture de textes cunéiformes de la bibliothèque royale à Boghaz-Keuï éclairèrent d'une nouvelle lumière certains problèmes historiques, et en même temps, ils signalèrent de nouveau l'importance de l'Asie Mineure comme lien intermédiaire dans l'échange des produits de la civilisation entre l'Est et l'Ouest. Cependant, tandis que le rapport de la civilisation mésopotamienne avec la civilisation hittite est mis en plein relief, au moins dans les phases principales de leur évolution historique — les liens qui unissent l'Egéide avec l'Asie Mineure sont jusqu'à présent presque imperceptibles [1]). Et pourtant ils existent sans nul doute. Dans ce cas je passe outre l'affinité probable de la population primitive des deux territoires [2]), problème, qui grâce aux conquêtes récentes de la hittitologie obtint des preuves nouvelles [3]), mais avant tout je voudrais signaler plusieurs points de contact qui existent dans l'évolution de la religion [4]) et de l'art, surtout de la glyptique, de ces deux pays. Il faut constater que, dans ce dernier domaine, l'Egéide n'est pas non seulement le côté recevant, mais au contraire nous percevons son influence prononcée sur la glyptique d'Asie Mineure [5]). En outre, il faut expliquer par l'entremise hittite certains phénomènes, constamment negligés jusqu'ici, de l'influence de la civilisation mésopotamienne sur l'Egéide[6]), d'autant plus que, peut-être, nous devrons rejeter l'hypothèse trop hardie de la colonisation babylonienne sur les îles de la Méditerranée, sur la Crète [7]) aussi, par suite de l'expédition du roi

---

[1]) Woolley, Asia Minor. Syria and the Aegean, Annals of Archaeology, 1922, 41 et suiv.

[2]) La théorie exposée par Kretschmer, développée plus tard par Fick.

[3]) Forrer, Mitteil. d. Deutsch. Orient.-Gesell. (MDOG), LXI 1921, 23 attribue à la langue luvienne, conservée dans les textes de Boghaz-Keuï, les terminaisons -nda et -ssos, qui sont caractéristiques pour la toponimique égéo-asianique; cf. Friedrich, Altk einasiatische Sprachen, Reallexikon d. Vorgeschichte, I 1924, 134.

[4]) Prinz, Mitteil. d. Athen. Institt. 1910, 149 et suiv. Ed Meyer, Reich u. Kultur d. Chetiter, 1914, 91 et suiv.

[5]) Contenau, La glyptique syro-hittite, 1922, 138 et suiv.

[6]) Lehmann-Haupt, Klio, 1904, 387 et suiv.; K. Müller, Jahrb. d. Arch. Institt., 1915, 282; Evans, The Palace of Minos, I 1921, 14 et suiv.

[7]) Assmann, Philologus 1908, 161 et suiv. et Festschrift f. Lehmann-Haupt, 1921, 1 et suiv.

Sargon I (2684—2630) à l'Ouest et de la conquête de cette île, clairement mentionnée dans une inscription fraîchement découverte [8]).

Les rapports de l'Egéide avec l'Asie Mineure n'apparaissent distinctement qu'au dernier moment de son évolution historique. Nous devons ces renseignements aux données relativement récentes des textes hittites qui concernent avant tout les rapports politiques de la monarchie achéenne avec l'état hittite [9]).

Depuis le déchiffrement des textes hittites pouvions nous attendre à un approfondissement de nos connaissances sur le littoral égéen de l'Asie Mineure, ainsi que sur les relations politiques avec l'Egéide [10]). Car, d'un côté les sculptures rupestres à Sipylos et à Kara-bel, près de Smyrne et d'Ephése étaient en quelque sorte le témoignage des expéditions militaires des souverains hittites à l'Ouest [11]) — d'un autre, les sceaux hittites découverts sporadiquement dans le domaine de la civilisation mycénienne donnèrent une preuve infaillible des relations préexistantes avec le domaine de la civilisation hittite [12]).

Les documents hittites, dans lesquels nous retrouvons les données mentionnées ci-dessus proviennent, plus ou moins, de l'époque située entre 1350 à 1230 av. J.-C. A l'aide de documents archéologiques nous pouvons constater dans l'Egéide de cette époque les faits suivants: la chute définitive de la Crète qui se manifeste par la destruction des palais à Cnosse et Phaistos et l'anéantissement progressif de la civilisation de cette île ainsi que la prépondérance du Péloponèse qui s'exprime le mieux dans la soi-disant „κοινή" mycénienne dans la céramique au moment où le style et le goût artistique de Mycènes gagnent une influence décisive dans toute l'Egéide [13]). Les textes hittites ne font que confirmer les faits susdits.

Ils contiennent des renseignements sur les rapports avec les rois du pays *Ahhijava* [14]). Ce nom, suivant les lois phonéthiques de la langue hittite qui nous apprennnent que le groupe non ac-

---

[8]) Forrer, Gaceta de Munich, 1922; Schulten, Tartessos, 1922, 14.

[9]) Forrer, Vorhomerische Griechen in den Boghazköi-Texten, MDOG, LXIII 1924, 1 et suiv.; le même, Die Griechen in den Boghazköi-Texten, Orientalische Literatur-Zeitung (OLZ), 1924, 113 et suiv. Le compte-rendu présent s'appuie en grande partie sur les textes, qui y sont publiés en traduction, et sur les faits mentionnés dans ces textes. M. Forrer, un des pionniers de la hittitologie, a annoncé une publication plus étendue touchant aux questions traitées ci-dessus. A consulter aussi le dernier article de Kretschmer, Alakšanduš, König von Viluša, Glotta XIII 1924, 205 et suiv.

[10]) Winckler, Vorderasien im II-ten Jahrtausend, 1913, 59; Forrer, MDOG, LXI 1921, 21.

[11]) Ed. Meyer, ouv. cité, 72 et suiv.; cf. Otto, Hist. Ztschrft., 1917, 208.

[12]) Tirynthe: Arch. Anzeiger, 1916, 46; Mycènes: Americ. Journ. of Arch. 1923, 83.

[13]) Fimmen, Die kretisch-mykenische Kultur, 1921, 144; Glotz, La civilisation égéenne, 1923, 60 et suiv.

[14]) Ahhijava mentionne déjà Götze, Kleinasien zur Hethiterzeit, 1924, 26.

centué aji passe en ija[15]), dérive à coup sûr de la forme primitive Ahhajiva. Quant à celle-ci, nous pouvons la considérer comme une forme hittitisée du nom de l'Achaïe qui devait être primitivement *'Αχαι̯Fα[16]), de même que le nom éthnique 'Αχαιοί est un dérivé d'une forme plus ancienne *'Αχαι̯Fοι. Nous trouvons d'ailleurs la confirmation de cette hypothèse dans les textes égyptiens de l'époque de la XX[e] dynastie qui nomment *Akaivasha*, généralement identifiés avec les Achéens, au nombre des peuples de la mer, envahisseurs de l'Egypte dans la cinquième année du règne du roi Merneptah (1235—1225)[17]). De même dans *Achivus*, forme latinisée et fort postérieure, nous pouvons retrouver des traces du nom préhomérique de la tribu grecque.

Les annales hittites nous rapportent, qu'à la tête du pays *Ahhijava* il y avait des monarques de nationalité grecque; cette conjecture est confirmée par les noms qui y sont conservés. Le roi *Ant(a)ravas*[18]) qui régnait de 1350 à 1325 environ et qui est mentionné dans un des textes hittites du roi Morsilis (1337—1312) est vraisemblablement le roi légendaire Andreus que Pausanias cite comme fondateur et premier souverain d'Orchomène en Béotie[19]). Le nom de son fils et successeurs *Tavag(a)lavas* correspond au nom grec 'Ετεόκλης dont la forme primitive était sans doute *'ΕτεFοκλέFης[20]). Pausanias mentionne également Etéoclès comme fils et successeur d'Andreus[21]). Donc, des données historiques confirment l'identification linguistique. Avec beaucoup de vraisemblance enfin nous pouvons identifier *Att(a)rissijas* qui vers 1250—1225 était en guerre avec le roi hittite en Carie, à 'Ατρεύς, père d'Agamemnon, ce qui est confirmé par la chronologie grecque traditionelle[22]).

Bien que ces noms confirment notre conviction sur le caractère grec de l'état Ahhijava nous devons prendre en consi-

---

[15]) Forrer, Ztschrft. d. Deutsch. Morgenländ. Gesellsch. (ZDMG) 1922, 204.

[16]) 'Αχαιοί d' Homère est un terme collectif qui embrasse toutes les tribus grecques, donc, assûrément le nom Ahhijava — 'Αχαία Grèce.

[17]) Streitberg, Indogerm. Forsch., VI, 134 et suiv. déduit ce nom de la forme ancienne du nom. plur. qui devait être 'Αχαι̯Fῶς. Quant à la question Akaivasha (autrement Akaouasha): Smoleński, Mém. de l'Acad. de Cracovie, II 1912, 21 et suiv.; réminiscence des expéditions grecques en Egypte: Od. XIV 248—265.

[18]) Il faut considérer le trait caractéristique de l'écriture cunéiforme qu'une voyelle sépare le groupe de deux consonnes au commencement d'une syllabe, donc il faut lire plutôt Antravas, non Ant(a)ravas.

[19]) 9, 34, 6—9.

[20]) Il faut mentionner par suite une autre particularité de la langue hittite: le manque de distinction précise entre les consonnes g et k. Tavag(a)lavas donc = Tavaklavas. Excepté l'„e" prothétique, c'est une forme fort rapprochée de la forme grecque.

[21]) IX 35, 1.

[22]) Le „Marmor Parium" fixe la date de la guerre de Troie dans laquelle Agamemnon prit part en 1218 — 1209, — la chronique d'Eusèbe en 1189—1180. Donc un intervalle fort probable sépare les dates du règne du père et du fils.

dération l'inexactitude de l'écriture cunéiforme signalée tantôt dans la réproduction des sons étrangers, une certaine disposition de la langue hittite pour l'assimilation des noms étrangers, et en outre, la différence supposée entre les formes grecques de ce temps là et les formes qui nous sont connues des temps fort postérieurs. Bref, nous devons avant tout considérer ce fait, qu'ici pour la première fois nous avons devant nos yeux des noms grecs du XIV^e—XIII^e siècle av. J.-C. qui nous furent transmis par des textes cunéiformes dans une forme corrompue. Cette circonstance n'ébranle aucunement les bases de l'identification, elle explique plutôt certaines divergences, fort visibles d'ailleurs [23]).

La constatation de l'élément grec dans la civilisation mycénienne n'est qu'une affirmation des conjectures existantes [24]). Par suite, ceci nous permet de fixer certains faits relatifs à l'établissement des tribus grecques à cette époque. Savoir, les sources hittites nous apprennent d'une façon indirecte que, vers la moitié du XIV^e siècle a. J.-C. le centre politique du continent se trouvait en Béotie, puisque les deux rois d'Orchomène Antravas-Andreus et Tavaklavas-Etéoclès sont cités comme deux souverains du pays Ahhijava. Même dans les temps postérieurs nous sommes habitués de considérer la Béotie comme un territoire éolien, vu que le dialecte de ce pays révèle d'une façon prononcée des traits de caractère éolien, mais avec une légère empreinte dorique, qu'il faut rapporter sans doute à la migration dorienne. Par conséquent nous devons nous représenter la population béotienne comme purement éolienne dans cette époque primitive [25]). Les textes hittites mentionnent en outre *Lazpa* partie intégrante aux possessions d'Antravas. Ce mot n'est, sans nul doute, rien d'autre, qu'une forme hittitisée de l'île Lesbos [26]) qui passait toujours pour un territoire purement éolien. Les résultats obtenus nous expliquent ce fait, que, dans un passage des annales du roi Morsilis, Tavaklavas-Etéoclès est nommé „roi *aiavalas*". Sans doute, dans ce mot nous fut conservé, bien que hittitisé, le nom des Eoliens dans sa forme primitive *Αἰϝολος [27]). Le souverain de l'Achaïe

---

[23]) *Il faut prévenir que les textes hittites ne conservent pas constamment une orthographie uniforme des noms grecs, en relévant, de temps en temps, certaines divergences p. ex. Ahhijaova à côté du fréquent Ahhijava.*

[24]) cf. p. ex. Nilsson, Gött. Gelehrt. Anzeig., 1914, 256 et suiv.

[25]) Meillet, Aperçu d'une histoire de la langue grecque, 1913, 9 et suiv.

[26]) En considérant le manque de fixité entre *b* et *p* dans l'écriture cunéiforme et la terminaison habituelle du nom. sing. *s* dans la langue hittite (Friedrich, ZDMG, 1922, 159) — nous pouvons déduire la forme Lazbas, fort rapprochée de la forme grecque.

[27]) Du même temps nous fut conservé encore un autre nom éthnique grec. Dans l'archive de Tell El-Amarna (environ 1370 av. J.-C.; Knudtzon-Weber, II 1915, 512 et suiv.) nous rencontrons une mention au sujet du roi du pays Danouna. De même les inscriptions de Thèbes citent Danaouna entre le peuples de la mer (Müller, Asien u. Europa, 1893, 360 et suiv.). Il semble hors de doute, que c'est une forme modifiée de Danaens.

y paraît donc également dans le caractère d'un roi éolien. La divergence entre le titre du roi et le nom du pays arrête notre attention sous ce point de vue: seulement que, dans ce cas, nous devrions nous attendre plutôt au titre du roi de l'Achaïe. Ce fait nous permet de supposer que, vers la moitié du XIV^{e} siècle a. J.-C. l'élément éolien pouvait avoir un rôle plus considérable dans le monde grec, mais il nous laisse dans l'incertitude, si l'état Ahhijava ne se composait encore que de pays éoliens en Thessalie et en Péloponèse [28]), ou s'il embrassait en même temps de plus grandes étendues du continent et des îles grecques, avec une population d'origine non-éolienne.

En nous fondant sur les textes de Boghaz-Keuï, nous pouvons pénétrer dans une certaine mésure l'évolution politique de l'Achaïe en considérant l'époque de sa rivalité avec l'état hittite en Asie Mineure. Nous y observons deux moments décisifs. Vers la moitié du XIV^{e} siècle a. J.-C. commence l'expansion politique de l'Achaïe, dont il est question dans les textes hittites. La Pamphylie [29]), qui était un domaine grec dans l'Asie Mineure, est encore une dépendance de l'état hittite, dont le roi achéen, souverain du pays, est en même temps vassal du roi hittite, tenu à l'obéissance envers son suzerain. Il résulte de la correspondance conservée entre Morsilis et Tavaklavas, que cette relation unissait déjà Antravas avec le roi hittite, mais la génèse demeure obscure pour nous. Ce n'est que vers 1325 que Tavaklavas s'affranchit de cette autorité gênante, et, quelque temps après le commencement de son règne, il obtint comme souverain de la Pamphylie une entière indépendance. Ce fait nous indique seulement que l'Achaïe se fortifie et qu'elle devient un facteur avec lequel les rois hittites doivent sérieusement compter. Mais ceci n'enfreint aucunement les relations amicales, qui unissaient jusqu'à ce temps les deux pays [30]), grâce à cette circonstance, peut-être, que l'état achéen ne visait pas encore aux conquêtes territoriales de l'Asie Mineure [31]).

---

[28]) C'est ainsi que suppose Forrer; voir, au sujet de l'établissement des tribus grecques: Fick, Ztschrft. f. vergl. Sprachforsch., 1913, 67 et suiv.

[29]) M. Forrer (MDOG. 63, 1924, 5) tâche d'établir la localisation de la Pamphylie sur le fond des sources hittites. Il faut remarquer que ces textes ne mentionnent pas, à vrai dire, ce pays, mais les recherches géographiques prouvent indirectement qu'on peut considérer uniquement la Pamphylie des temps postérieurs comme une possession des rois achéens dans l' Asie Mineure. Herodote, VII 91, rapporte sa colonisation par les Grecs au temps de la guerre de Troie.

[30]) Le texte provenant de la première année du règne de Morsilis (av. 1336; Forrer, OLZ, 1924, 113) constate ce fait; il prouve en outre que le roi d'Ahhijava se trouvait sous un protectorat spécial du monarque hittite qui nomme Tavaklavas d'abord „fils" et ce n'est que plus tard qu'il lui concède le titre de „frère".

[31]) Il résulte, par suite de la correspondance entre Morsilis et Tavaklavas que la puissance de l'Achaïe est d'une date fort récente encore.

Vers la seconde moitié du XIII[e] siècle à peine l'Achaïe devint un adversaire menaçant pour les Hittites sur le terrain de l'Asie Mineure. Depuis les événements exposés ci-dessus, jusqu'à ce moment, nous n'avons aucun renseignement sur l'état achéen ce qui nous laisse dans une complète ignorance de l'époque intermédiare. Cependant, nous pouvons supposer, que cette période d'expansion politique fut précédée par une certaine consolidation intérieure. Orchomène, qui avait, peut-être, un certain rôle politique sur le continent [32]), abandonne son rang privilégié à Mycènes qui acquit un rôle prépondérant en Achaïe. Le seul fait confirme notre conjecture, que les annales hittites citent *Attrissijas*-Atreus, dont le règne est constamment lié à Mycènes par la tradition, comme roi contemporain d'Ahhijava. La poésie épique et les fouilles prouvent en outre, que Mycènes fut dans ce temps là le plus puissant centre politique du continent, et le réseau des routes de tous les pays qui convergeaient vers le château mycénien atteste d'une façon péremptoire, que c'était le foyer, auquel refluaient toutes les forces vitales du pays.

La consolidation qui se manifeste par l'hégémonie de Mycènes sur le continent grec n'aboutit pas cependant à une perte définitive de l'indépendance des unités territoriales. Le régime politique de l'état Ahhijava ne différait pas, à coup sûr, de l'état, qui nous est connu par la poésie épique [33]). Mais, en tous cas, c'est un trait caractéristique que, dans l'époque du contact de l'Achaïe avec l'état hittite, elle se présente constamment comme une puissance homogène, et qu'elle est considérée comme telle par son adversaire.

L'action agressive contre les Hittites commence [34]) avec le débarquement d'Attrissijas dans le pays *Zipasla* (plus tard la Carie) qu'il s'éfforce à ravir à Madduvattas, feudataire du roi hittite Todhalias (1260—1225) — mais, refoulé — il doit céder. Nonobstant, il renouvelle après plusieurs années la tentative manquée, de nouveau sans aucun résultat. Alors Attrissijas aborde la côte de l'Asie Mineure avec plus de cent navires. On peut supposer qu'une flotte si puissante put être rassemblée des îles voisines de la mer Egée, qui subissaient dès lors l'autorité d'Attrissijas [35]), si l'on considère ce fait, qu'elles fournirent plus tard une flotte aux Achéens pendant l'expédition troïenne [36]).

---

[32]) Tout de même les fouilles attestent qu' Orchomène était dans ce temps là un des centres dominants de la civilisation grecque sur le continent.

[33]) Drerup, Das Homerproblem d. Gegenwart, 1921, 264 et suiv.

[34]) Une grande inscription, qui contient l'acte d'accusation contre Madduvattas (Forrer, OLZ, 1924, 116) concerne les faits constatés ci-dessous.

[35]) Les restes de la civilisation mycénienne sur les Sporades se rapportent précisement à cette époque, Fimmen, ouvr. cité, 15 et suiv.

[36]) Il. II 653—680.

Ce fait témoigne seulement de la puissance militaire dont disposait alors le monarque achéen, d'autant plus, qu'il put se permettre de braver un adversaire si redoutable comme l'état hittite, encore au sommet de sa puissance. Ce fait est entièrement confirmé par le traité de Todhalias fait en 1239 avec Ishtara [37]) souverain du pays Amourrou dans la Syrie centrale, dans lequel Todhalias traite le roi d'Achaïe d'égal avec les monarques de Babylone, d'Assyrie et d'Egypte, donc avec les plus grands dominateurs contemporains.

Le roi hittite donne déjà constamment au Tavaklavas le titre de „frère", terme avec lequel, à coup sûr, il veut le proclamer son égal [38]). La puissance du monarque mycénien trouve en outre un terme conforme pour sa domination: Attrissijas porte dans les annales hittites le titre „kuirvanas" terme correspondant en grec à κοίρανος du *κοιρϜανος primitif — souverain indépendant [39]). Ce sont des traits extrèmement caractéristiques pour la dernière époque de l'Egéide, car ils confirment en partie les résultats dans le cadre des recherches archéologiques, savoir, que, dans ce temps là, le centre politique du monde égéen se trouvait au Péloponèse, et que la Crète, ainsi que d'autres îles de la mer Egée subissait son autorité. La puissance maritime de la Crète ne semble être que du passé, d'autant plus, que le roi de l'Achaïe dispose d'une flotte fort considérable pour ce temps là. Au cas contraire, les textes hittites, sans nul doute, n'auraient pas omis de mentionner la Crète comme une puissance indépendante dans la Méditerranée.

Après des tentatives malheureuses de la conquête de la Carie, les combats d'Attrissijas et des Hittites se transportent sur un autre terrain — à Chypre. Cette île fut ravagée alors par Madduvattas, le vassal révolté du roi hittite, et par Attrissijas, qui fut accompagné dans cette expédition d'un „homme de Biggaja" d'ailleurs pourvu par les textes du titre „kuirvanas". La supposition de Forrer, qui voit dans Biggaja une forme ancienne du nom primitif du Chypre Σφηκεία, semble douteuse, ainsi que les faits qui doivent prouver que la colonisation grecque sur le Chypre date de la première moitié du XIV[e] siècle, mais qu'elle est limitée à la côte du Nord, et que la colonisation définitive de l'île eut lieu vers la fin du XIII[e] siècle. Les sources hittites disent clairement que, au XIII[e] siècle, cette île était sous la domination des

---

[37]) Le texte: Forrer, MDOG, LXIII 1924, 66: „et les rois qui me sont égaux, le roi de Mizri (Egypte), le roi de Kara-Dunias (Babylone), le roi d' Assour et le roi d'Ahhijava".

[38]) cf. n. 30.

[39]) „Attrissijas et l' homme de Biggaja (Chypre? v. ci-dessous) sont, par le rapport au Soleil (titre du roi hittite) des „kurievanieš", mais Madduvattas est seulement le serviteur du Soleil" — tel est le passage en question tandis que partout la forme „kuirvanas" est conservée (Forrer, OLZ, 1924, 117).

monarques hittites [40]), bien qu'on ne puisse pas nier, grâce aux preuves fournies par les fouilles de Chypre, que, dans ce temps là, elle subissait une influence marquée de la civilisation mycénienne [41]).

Pour résoudre cette question, nous devrions surtout avoir des matériaux historiques plus amples que ceux, dont nous disposons à ce moment.

Les événements représentés de cette manière par les textes hittites eurent lieu quelques dizaines d'années à peine avant la guerre troienne. Nous ne pouvons pas nous attendre d'en obtenir des notions complémentaires à cet intéressant problème, parce que la chute brusque et énigmatique de l'empire hittite est presque contemporaine de l'expédition grecque contre Troie, et qu'elle suit immédiatement la première invasion des peuples de la mer en Egypte [42]),

Il suffit de constater ce fait important que, dans les sources hittites du XIII[e] siècle, le pays T(a)ruisa est cité du nombre des provinces de l'empire hittite à l'Ouest. L'écriture cunéiforme nous permet de lire ce terme également Troisa [43]), donc, nous pouvons nous figurer que, en passant dans la langue grecque, ce nom a reçu successivement le son de Troiha et ensuite de Troia. Nous aurions ainsi la plus anciennne et, jusqu'ici, l'unique mention de la Troie dans les textes cunéiformes [44]).

Les expéditions d'Attrissijas forment un des épisodes de l'expansion de la civilisation mycénienne vers l'Est dont les étapes successives peuvent être représentées de la façon suivante, naturellement dans une esquisse des plus générales: la colonisation de la Pamphylie, — prise de possession des îles sur la côte de l'Asie Mineure, — les expéditions en Carie, — la guerre de Troie, — la colonisation de Chypre. Ceci nous suggère la pensée, que la côte égéenne de l'Asie Mineure fut précisement ce domaine où, dans le même temps, se rencontraient et s'entrecroisaient les influences de deux civilisations opposées — la civilisation mycénienne et la civilisation hittite.

Mais aussi sous un autre rapport, les conquêtes récentes de la hittitologie ont pour nous une importance primordiale. Jus-

---

[40]) Hrozný, Boghazköi-Studien, V 1920, 52; Winckler, MDOG, 35, 1907, 41; Bossert, Altkreta, 1921, 63.

[41]) Fimmen, ouvr. cité, 96 et suiv. Ce fait est d'une grande importance, que les dialectes du Chypre, de Pamphylie et d'Arcadie forment un groupe fort serré, cf. Meillet, ouvr. cité, 87 et suiv.

[42]) Myres and Frost, Klio, XV 1915, 447 et suiv.

[43]) Forrer, Die Keilschrift v. Boghazköi, 1922, 6 et suiv., également utile pour plusieurs question précédentes.

[44]) Pour les nombreux problèmes de la civilisation cette mention de Troie au nombre des provinces de l'Ouest de la monarchie hittite n'est pas sans une grande importance.

qu'à ce que les inscriptions de l'époque mycénienne ne soient déchiffrées, les monuments hittites, malgré leur état fragmentaire et la façon épisodique dont ils traitent l'histoire grecque, sont les premiers textes, qui nous révèlent le fond historique de la tradition grecque, en constatant l'existence de plusieurs héros légendaires.

Bien que les résultats obtenus jusqu'à ce moment soient insuffisants pour changer notre attitude envers la tradition grecque — ils nous suggèrent l'idée de perspectives inattendues, qui pourraient s'ouvrir devant nos yeux, par l'approfondissement des sources hittites et, avant tout, par le déchiffrement de l'écriture linéaire égéenne.

DE FORMA AC VI VOCIS μοιρηγενής.

Uno loco vox μοιρηγενής legitur, in Homeri scil. Γ 182 describentis certamen singulare inter Paridem et Menelaum constitutum. Qua de re magnopere gaudentes Achaei et Troiani equos ordine ponunt armaque abiciunt. Hector duos in urbem praecones mittit, qui quam celerrime victimas adducant: eadem de causa Talthybius ab Agamemnone missus ad naves se confert. Ex turri vero spectat Helena cui Iris exercitum ducesque monstrat: Helena a Priamo interrogata, quis ille magnus sit ac strenuus vir Achaeus, hunc esse Agamemnonem respondit, Atrei filium et bonum regem et fortem militem. Quibus auditis Priamus exclamat:

ὦ μάκαρ' Ἀτρεΐδη, μοιρηγενές, ὀλβιοδαίμων...

Ubi meminerimus oportet haec verba eo prolata esse temporis momento, quo disceptanda erant Troiae, patriae Priami, fata. Uni cuique haec perpendenti verba difficilius videtur hunc senem suam ac patriae perniciem praesentientem nihil nisi admirationem cepisse. Attamen duobus Agamemnoni inditis cognominibus, inter quae est μ., et in universum in sermone Agamemnonem attingente nihil inest, quod eum tunc sortem patriae animo et mente volutasse indicet. Quam ob rem verborum inter se nexum examinanti vox tantummodo vim *felicis* exprimere liquet.

Quam interpretationem ut intellegas, vocis originationem breviter exponam. Compositi quidem partem priorem a μοῖρα derivatam esse apparet, quae vox arcte cohaeret cum vocibus αμειρίζεσθαι et ἔμμορα (*σ'σμορα) unde et subst. μόρος *portio*. Vox Polona *śmierć* (*mors*) ex eadem formata est radice: attamen μόρος non mortem tantum dicit — ut hunc exprimat intellectum, semper alia adduntur vocabula, ut θανατόν τε μόρον τε. Femininum vocis μόρος est μόρα *(vis, manus)*. Exitu *io, ia, i$\breve{}$o, i$\breve{}$a* addito in lingua Graeca adiectiva formantur verbalia, e. gr. ἅγιος *venerandus*, et στύγιος (στυγεῖν *odisse*). Neutrum et femininum horum adiectivorum erant subst. abstracta: v. gr. σφάγιον designat animal sacrificatum, *victimam, hostiam*, et quod magni est momenti, *sacrificationem*. Eandem vim subst. abstracti habent voces μανία, πενία et alia in *ia* desinentia, ergo μορια quoque, quae vox per epenthesin (qua de v. Brugmann, Gr. Gramm. p. 35, 2) μοῖρα *portio* facta est. Simpliciter etiam vulgo μοῖρα dicitur pro ἀγαθὴ μοῖρα i. q. *bona fortuna, felix sors* (cf. Odyss. υ 76). Intimum inter abstracta et subst. personam designantia existere nexum longius exemplis allatis mihi exponendum esse non puto: facile enim intellegitur Μοῖρα dea sortis, *Fortuna*, dividens et augens sortes, μοίρας, quae et bonae et malae esse possunt. Quae superstitio ad deam Sortem pertinens apud

omnes fere populos viget: quomodo haec in Graecia nostra aetate aut ex antiquitate sumpta aut mutata inveniatur, multis exposuit Albertus Thumb [1]), qui Graecos nunc tres Μοῖρας credere narrat, quae malam bonamque sortem infantibus trium dierum fato (μοιρίσματι vel μοιράματι) tribuunt.

Iam ad alteram compositi partem -γενης transeo, quae a subst. γένος derivata est. Subst. cum exitu -ος formaverunt adi. desinentia in -ης, -ες, ut μένος: δυσμενής, κλέος: εὐκλεής. Minus probabiliter idem deducitur ex aoristo γεν'σθαι, quamquam antiquissimis temporibus participium fuerit γενής, ad designandum id quod ad originem, ad gentem pertinet i. e. *natus* cum vi adiectiva et *natus* ut part. perf.

Nunc quam vim compositum exprimat accuratius videamus. Composita desinentia in -γενης disponenda sunt in ea, quorum pars prior est radix nominis, ut μονο-γενής, διο-γενής, εὐ-γενής et in ea, quorum parti priori casus inest nominis, qualia sunt qui locativum praebent, ut δι-γενής, θερει-γενής, κρισσαι-γενής. Utri formae vox μ. adnumeranda sit, nunc conabor explanare. Radix prioris huius compositi partis, scil. μοῖρα, habet α breve. In compositis Graecis ultima prioris partis *e, a, o* producebatur, si altera quoque pars habebat initio vocalem: verum cum in nostro exemplo altera pars a consonante incipiat, α nullo modo produci poterat. Quam ob rem adstipulor Goebelio [2]) qui priorem partem putavit locativum, vocemque explicavit *im Glück geboren*. At iam priscis temporibus locativus et instrumentalis dativo erant permisti: ergo prior compositi pars utrumque referre potest, ut *fato natus* et *a fato natus*. Hanc potius interpretationem praetulit Doederlein [3]) qui transfert: *verhängnisvoll d. h. vom Schicksal geboren und zwar zum Unheilbringen.* Qua versione probata Priamus hoc dixerit non admirans, sed potius timens perniciemque praesentiens, id quod non esse ipso initio adstruxi; aliquo modo talis explicatio probanda esset, si Priamus hoc adiectivum solum posuisset: nunc vero alia adiectiva explicant et μ. Ergo Μοῖρα designat hic, quod sententia tota evincitur, ἀγαθὴ μοῖρα, ut totum liceat reddere Latine ita: *homo adstante Fortuna natus* vel *fortunate natus*. Ab hac explicatione minime recedunt ipsi antiqui: v. gr. Horatius Serm. II 6, 49 dicit idem Latine *fortunae filius*, et Etymol. M., quod η dialecti Ionicae vestigium esse contendit, attamen nonnihil secum pugnans recte interpretatur ut ὁ ἐπ' εὐτυχίᾳ γεγεννημένος.

Miraris profecto cur poeta hoc ita nec aliter dixerit. Proxime enim stat μ. a forma δι-γενής: ut δ. caelestem quandam particulam in homine ab ipsa nativitate inesse asserit, ita et μ. ipso Fato hominis nataliciis quodammodo adstante, a nativitate felicem sortem homini contigisse affirmat: unde hanc recentiorum Graecorum aliarumque plurimarum gentium superstitionem, quam indicaverimus supra, aetati Homericae minime ignotam fuisse conicias, quae omnes virtutes hominis vel a genealogia (cf. διο-γενής) vel a nativitate homini inesse docuerit. Posteri autem Graeci hanc vim minus perspectam habentes nomen putarunt felicis ominis et hanc ob rem indiderunt infantibus hoc nomen ut Romani *Fortunati:* sed non legitur nisi forma Dorica Μοιρα-γένης apud Lacedaemonios (v. gr. Plut. 4, 6) et Macedones (v. gr. Polyb. XV 27, 29).

Wrzesniae. CZ. ZGODZIŃSKI.

[1]) A Thumb, Zur neugriechischen Volkskunde I Die Schicksalsgöttinnen im neugriechischen Volksglauben (Zeitschr. d. Vereins f. Volksk. II 1892).

[2]) Goebel, Lexilogus zu Homer und den Homeriden, Berlin 1878, 196.

[3]) Ludwig Doederlein, Homerisches Glossarium II 109 sq.

Ἄναξ: hebr. ʿanāq.

Vocis ἄναξ originem obscuram esse constat.[1]) Prellwitz, Et. Wtb. ed. I. composuit hanc vocem cum lat. *provincia*. Idem vir doctus in altera vocabularii sui editione scrt. *vanitar* in comparationem vocavit, cui opinioni in universum assentit Schwyzer.[2]) Utraque originatio parum probabilis mihi videtur. Etenim vocem ἄναξ non genuinam graecam esse, sed peregrinam atque ex Asiae sermone quodam depromptam luculenter demonstrant phryg. *Fαναχτει* = graec. *Fάνακτι*, phryg. μογρο*Fανακ* „magnus rex".[3])

Quod vocabulum etiam in lingua hebraea occurrere mihi videtur et quidem graeco ἄναξ respondere conicio nomen *ʿanāq*. Namque *b'nē ʿAnaq* sive *ʿAnāqîm* dici constat gentem quandam priscam, cuius sedes fuisset in terra illa Canaan i. e. Palaestina ante Israelitarum adventum. Eius gentis reliquiae remanserunt Iosuae temporibus in Philisthaeorum oppidis: Gaza, Gath, Ašdod.[4]) Philisthaeos autem gentem non semiticam fuisse, sed peregrinam, eamque — id quod verisimillimum videtur — indoeuropaeam, doctorum opinione innixus demonstrare supersedeo.

Quae cum ita sint, fortasse non plane reiciendam putabis coniecturam, quam sequimur, gentem illam *ʿAnaqîm* fuisse vel Phrygios vel Phrygiorum finitimos vel utique eodem aut certe simili sermone loquentes.[5]) Unde autem haec Anakitarum appellatio in linguam hebraeam pervenerit, paucis adumbrare liceat.[6])

---

[1]) cf. Boisacq, Dictionnaire étymologique de la langue grecque s. v. — LXX versio exhibet vocalem *e*: Ἐνάκ.

[2]) Glotta VI 1915, 86 n. 1: „Für *Fάναξ*, das trotz phryg. *Fαναχτει* aus wortgeographischen Gründen als griechisch zu betrachten ist, eine Basis *Fανακ* anzusetzen (Fraenkel, Nom. ag. I. 95[1]), führt nicht weiter; steckt in *Fανα* ein Nomen konkreter Bedeutung zu ai. *vanómi* „gewinnen" zur Bezeichnung der Beute, in κτ- ein nomen agentis zu κτῶμαι? *Fάναξ* hiesse dann der Herrscher nach der Eigenschaft des Heerkönigs, die mhd. *milti* heisst (vgl. die Ausleger zu Tac. Germ. c. 14)."

[3]) cf. Kretschmer, Einleitung p. 239.

[4]) cf. Ios. 11, 21 sq.

[5]) Hoc loco afferre licet, quae in Roscheri Lexico Mythol. II 1535 sq. protulit Maximilianus Mayer: „...ich muss die phrygische Sage (Welcker, Gr. G. 1,774 nennt sie armenisch-phrygisch) von Annakos oder Nannakos danebenstellen. Es war dies ein phrygischer König, welcher 300 Jahre alt wurde... Der Name lautet bald Annakos bald Nannakos..... Jedenfalls bedarf es nicht der Hereinziehung von Anax, dem milesischen Riesen (Gig. u. Tit. 143), wovon Osann, Midas 67 eine heteroklitische Form in Anakós sieht, wie φύλαξ, φυλακός, um es nach Vorgang anderer mit den Söhnen Enaks (hebr. *anak*) zu vergleichen." Cf. etiam H. Lewy, Die sem. Fremdwörter im Gr., Berl. 1895, 187 sq. *O. Kern*, Anax, in: Beiträge zur Geschichte d. griech. Philosophie und Religion, Berlin 1895, 102 sq

[6]) Lexicographi hebraei nomen gentis illius Anaq cum voce hebraea *anaq* „co lare, monile" (syr. *eqqā* ex **enqā*, aram. *unqa*, arab. *unq*, aeth. *enqe* assyr. *unqu* „*anulus*") componere solent, ita ut significet „hominem longi colli".

Primum quaeritur, quomodo vox ἄναξ in graecam linguam irrepserit. Schrader[1]) censet Graecos iam mature redactos esse sub potestatem „dominorum" (ἄναξ), qui ex Asia trans Cretam fortasse transmigravissent.[2]) Simili igitur modo opinor gentem 'Anāqîm, quod nomen cohaerere auguror cum voce ἄναξ vel phrygio *Fαναξ, dominos* fuisse, qui ante Israelitarum in Palaestinam adventum terram Canaan invaserint et propter corporum magnitudinem indigenis Gigantes visi sint.[3])

Mentionem facere licet vocabuli graeci ἄνακες, quod dialecto attica Dioscuros deos significare constat. Anakitae autem orti esse dicuntur a Gigantibus (nephilim = LXX Γίγαντες),[4]) qui etiam bnē Elohim vocantur i. e. *filii dei.*[5]) Eadem fere igitur significatio occurrit in appellatione hebraea atque in graeco nomine Διόσκουροι.

Quod autem vox hebr. *ʿānāq* spirante (digammate), quod in graeco vocabulo ἄναξ quondam fuerat, caret, certis rationibus grammaticis explicari nequit, siquidem in utraque lingua paucissima sunt exempla, quae in comparationem vocari possint. Memoratu utique dignum est graeco *Foῖνος* respondere hebr. *jajin*, cum voce autem ἔτος ex *Fέτος* (cf. lat. *vetus)* in comparationem vocari posse vocabula, quae magis quam hebr. *jajin* ad vocem *ʿānāq* spectant et quidem aeth. *ʿoda* „ἐκύκλωσε", arab. *ʿada* „revertit", *ʿīdu* „a periodical, an anniversary festival",[6]) ubi quoque digammati graeco respondere videtur in semiticis vocabulis sonus, qui dicitur *ʿajin* quemque spiritu aspero (ʿ) transcribi solere consentaneum est.

Leopoli. JAC. HANDEL.

Quae originatio parum satisfacere videtur, si reputamus nomen illud proprium ad gentem peregrinam pertinere non hebraeae, sed, id quod probabilissimum est, ne semiticae quidem originis. Quare illam, quam attuli, originationem non nisi etymologiam q. d. vulgarem putabimus.

[1]) Aus griechischer Frühzeit, in: Festschrift zur Jahrhundertfeier der Universität zu Breslau 1911, 464 sq.

[2]) „Die Bevölkerung des mykenischen Griechenlands war eine griechisch redende; doch war dieselbe frühzeitig unter die Gewalt von Herrschergeschlechtern (ἄναξ) gekommen, die direkt oder indirekt (über Kreta?) aus Kleinasien gekommen waren".

[3]) Etiam posterioribus temporibus in Philisthaeorum oppido Gath audimus de viro illo a Davide occiso nomine Goliath, qui vir immanis magnitudinis fuisse dicitur (Reg. I 17, 4 sq.).

[4]) cf. Num. 13, 33: „Populus, quem aspeximus procerae staturae est: ibi vidimus monstra quaedam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati quasi locustae videbamur".

[5]) cf. Gen. 6, 4: „Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt *filii Dei* ad filias hominum illaeque genuerunt, isti sunt potentes a saeculo viri famosi".

[6]) cf H. Möller, Die semitisch-vorindogermanischen laryngalen Konsonanten, Kjöbenhavn 1917, 26. 64.

DE CICERONE TESTIUM VEXATORE

scripsit

STANISLAUS SELIGA.

Cicero orator quam vehementer hic illic adversarios lacessiverit, nemo est, ut suspicari licet, qui vel semel gravioribus orationibus perlectis id se oblitum esse fateatur. Longum sane esset totam illam provinciam investigare, praesertim cum inter tot, quae de Cicerone apparuerint scripta, admodum pauca ea de re legantur [1]), neque hic longius excurrere liceat. Ideoque in animum induxi animadversiones nonnullas saltem de Ciceronis testium impugnatione brevius perscribere.

Attamen primum videamus, quid Cicero in libris rhetoricis inter alia de testibus (p. alterius partis) praecipiat. Itaque M. Antonius apud Cic. De orat. II 229, cum de facetiarum usu fit sermo, haec perhibet: „Nos autem quomodo utamur (scil. facetiis), cum opus sit, quaerimus, ut in adversarium et maxime si eius stultitia poterit agitari; in testem stultum, cupidum, levem, si facile homines audituri videbuntur." In dialogo vero De partit. orat. 49 haec legimus: „Nam et de toto genere testium, quam id sit infirmum, saepe dicendum est, et argumenta rerum esse propria, testimonia voluntatum; utendumque est exemplis, quibus testibus creditum non sit, et de singulis testibus, si natura vani, si leves, si cum ignominia, si spe, si metu, si iracundia, si misericordia impulsi, si praemiis, si gratia adducti; comparandique cum superiore auctoritate testium, quibus tamen creditum non sit". Quintilianus autem Inst. V 7 toto capite de testibus disserit neque fere quidquam aliud, nisi quod iam Cicero scripsit dixitve in orationibus, ut postea videbimus, de testium impugnatione afferre videtur. Quo facile patet, quomodo in testes invehi patronis accusatoribusque liceret, tunc temporis omnino certum fuisse. In posterioris quoque aevi libris ad ius civile spectantibus de testium fide examinanda pauca legimus, ut l. 1, 2, 3 D. 22, 5 (de test.); Cod. Iust. 4, 20 (5); Pauli Sent. V 15.

In orationibus pro Caecina, pro Sestio (una cum „in Vatinium testem interrogatione") habitis invehitur Cicero in singulos

---

[1]) E. g. S. Hammer, Contumeliae, quae in Ciceronis invectivis et epistulis occurrunt, quatenus Plautinum redoleant sermonem. Cracoviae, Sumpt. Acad. Litter. 1905. P. Faulmüller, Ueber die rednerische Verwendung des Witzes und der Satire bei Cicero. Diss. et progr. 1906. Cf. V. Brugnola, Le facezie di Cicerone. Città di Castello 1890. A. Haacke, De Ciceronis in orationibus facetiis. Prog. Burg 1886. L. Laurand, Étude sur le style des discours de Cicéron. Paris 1907. Tum ipse paucis ante annis quaestionem tractavi et laboris mei fructum c. i. „Cicero orator quomodo adversarios lacessiverit", temporibus faventibus in lucem edam.

testes; at in orationibus pro Fonteio, pro Flacco, pro Rabirio Postumo tum pro Scauro dictis totas gentes, quae testium loco Romam accusatores mittebant, impugnat acerbeque, qui erat ei mos, depingit, ut quae ipsius clientibus impudenter nocere ausae sint. Imprimis autem Cicero quibusdam quasi locis communibus in testibus infestis lacessendis utitur, ut auctoritatem eorum fidemque apud iudices infringat.

Itaque crimen deorum contemptorum, periurii omnisque religionis violatae saepius occurrit, praesertim cum de testimoniis gentium alienarum res agitur. Quae crimina passim a Cicerone moventur, ut cum Gallicos testes impugnat, quod Fonteium falsis testimoniis obruere conati sint. Ut iudices omni modo ab iis abalienaret, quod certe sibi proposuit, haec orator in illam Gallicam gentem „bracatam" iactabat (Font. 30 [20]): „An vero istas nationes religione iuris iurandi ac metu deorum immortalium in testimoniis dicendis commoveri arbitramini, quae tantum a ceterarum gentium more ac natura dissentiunt? quod ceterae pro religionibus suis bella suscipiunt, istae contra omnium religiones: illae in bellis gerendis a dis immortalibus pacem ac veniam petunt, istae cum ipsis dis immortalibus bella gesserunt; hae sunt nationes, quae quondam tam longe ab suis sedibus Delphos usque ad Apollinem Pythium atque ad oraculum orbis terrae vexandum ac spoliandum profectae sunt". Tum ironia eos perstringit atque haec de iis uno spiritu enarrare festinat: „Ab iisdem gentibus sanctis et in testimoniis religiosis obsessum Capitolium est atque ille Iupiter, cuius nomine maiores nostri vinctam testimoniorum fidem esse voluerunt. Postremo his quicquam sanctum ac religiosum videri potest, qui etiam, si quando aliquo metu adducti deos placandos esse arbitrantur, humanis hostiis eorum aras ac templa funestant? ut ne religionem quidem colere possint, nisi eam ipsam prius scelere violarint. Quis enim ignorat eos usque ad hanc diem retinere illam immanem ac barbaram consuetudinem hominum immolandorum?" Tum denique interrogat iudices: „Quam ob rem quali fide, quali pietate existimatis esse eos, qui etiam deos immortales arbitrentur hominum caede et sanguine facillime posse placari? cum his vos testibus vestram religionem coniungetis? ab his quicquam sancte aut moderate dictum putabitis?" De Indutiomaro autem, Gallorum principe, qui una cum suis Romam profectus est, haec quaerit (Font. 27 [17]): „Scit Indutiomarus, quid sit testimonium dicere? movetur eo timore, quo nostrorum quisque, cum in eum locum productus est?" Res admodum Ciceroni inusitata esse videtur Indutiomarum istum in testimonio dicendo affirmare „se scire" (cf. Font. 29 [19]), id quod testes Romani tantummodo „se arbitrari" dicere soleant. Ne quis etiam sibi dubitationi det, quin testimonia eorum nulla auctoritate fideque nitantur, videat — admonet Cicero — illos „sceleratos homines" (cf. Font. 45 [35]) eorumque incessus in urbe in memoriam revocet (Font. 33 [23]): „Vagantur laeti atque erecti passim toto foro, cum quibusdam mi-

nis et barbaro atque immani terrore verborum". (Cf. G. Boissier,[7] Cicéron et ses amis, Paris 1884, 9—10.). Eadem fere dicit Cicero de Graecis, qui adversus Flaccum testabantur (Flacc. 26): „Nihil religione testatum, nihil veritate fundatum, nihil dolore expressum, contraque omnia corrupta libidine, iracundia, studio, pretio, periurio reperientur".

Crimen falsi testimonii etiam atque etiam ab oratore usurpatur. Itaque falsa testimonia, ut nos credamus vult, dicunt cum Graeci (cf. Flacc. 35) tum omnes nationes ex Oriente oriundae nec non Alexandrini, qui contra Rabirium Postumum cum suis testimoniis prodierunt: de his acriter impatiens irae quaerit orator (Rab. Post. 35): „Si tunc mentiti sunt, doceant nos, verum quo vultu soleant dicere!"; tum non sine ironia addit: „Audiebamus Alexandriam, nunc cognovimus". Non minus vehementer in oratione, pro Scauro habita, Cicero ex Sardinia testes productos mentiendi crimine exagitat; ubi eum haec proferentem legimus (Scaur. 42): „Fallacissimum genus esse Phoenicum omnia monumenta vetustatis atque omnes historiae nobis prodiderunt. Ab his orti Poeni multis Karthaginiensium rebellionibus, multis violatis fractisque foederibus nihil se degenerasse docuerunt. A Poenis admixto Afrorum genere Sardi non deducti in Sardiniam atque ibi constituti, sed amandati et repudiati coloni". Alias (ib. 38) dicit eos adeo corruptos homines, ut libertatem a servitute nulla re alia nisi mentiendi licentia distinguendam putent. Ex parte falsi testimonii perhibendi non parcet etiam testibus, qui adversus Caecinam testabantur, neque Vatinio inimico.

Corruptionis crimen si non aperte, at oblique hic illic affertur. Itaque Gallicos testes non solum *immanissimos, crudelissimos* etc. vocat, sed etiam *cupidos, mercennarios* (Font. 32 [22]). Quid de Graecis ab eo hac in re dicatur, legimus (Flacc. 26): „... omnia corrupta libidine, iracundia, studio, pretio, periurio reperientur". Tum Sardi quoque, ut affirmat, nisi spe praemiorum non testantur (Scaur. 38): „cupiditas... suscepta est spe et promissione praemiorum" (cf. ib. 41).

Inimicitiae ac ira testium non parvi momenti sunt, ex oratoris sententia, ad fidem testimoniorum infringendam. Itaque nihil aliud nisi praeposteram illam iram compulisse Vatinium ad testimonia adversus Sestium, qui de ipso oratore bene meritus fuit, dicenda, ut omnibus id persuasum sit, Cicero velle videtur (Vatin. passim). Odio inimicitiarum flagrare erga populum Romanum omnes fere gentes barbaras in orationibus Ciceronis videmus, ut ex. gr. Gallos, qui olim Romam Capitolium obsessum profecti sint (Font. 30 [20]); etiam eo tempore erectos vagari per urbem (Font. 33 [23]) *cum quibusdam minis*. Hoc autem modo alloquitur Cicero iudices, cum de Gallorum testibus disserit (Font. 32 [22]): „Potestis igitur ignotos notis, iniquos aequis, alienigenas domesticis, cupidos moderatis, mercennarios gratuitis, impios religiosis, inimicissimos huic imperio ac nomini bonis ac fidelibus et sociis et civibus anteferre? an vero dubitatis, iudices, quin in-

sitas inimicitias istae gentes omnes et habeant et gerant cum populi Romani nomine?" Haec de iis „minacibus" et „arrogantibus" hominibus (cf. Font. 36 [26]). Tum de Sardis ita narrat (Scaur. 44): „Magnam quidem esse partem (scil. Sardorum) sine fine, sine societate et coniunctione nominis nostri res ipsa declarat; quae est enim praeter Sardiniam provincia, quae nullam habeat amicam populo Romano ac liberam civitatem? Africa ipsa parens illa Sardiniae, quae plurima et acerbissima cum maioribus nostris bella gessit..." Nihil igitur mirum, quod Cicero de istis gentibus etiam contemptim, ut iam animadvertere ex iis, quae praecedunt, potuimus, dicere iterum ac saepius praetendit.

Acerrimis autem armis pugnare eum videmus, cum testium vitam moresque tum habitum vividis coloribus depingit; haec omnia ironia ac iocis, nonnunquam sarcasmis, qui vocantur, permixta leguntur. Itaque omnes maculas Vatinii vitae praeteritae, quem in illa „in Vatinium testem interrogatione" asperrime exagitat, ante oculos ponit. Procul dubio Cicero etiam suum ipsius odium Vatinii, qui oratorem lacessiverit, per totam illam *interrogationem* effundit poenamque non invitus ab eo sumit. Ira incitatus haec de vitae eius primordiis dicit (Vat. 13): „Atque illud tenebricosissimum tempus ineuntis aetatis patiar latere: licet impune per me parietes perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris; habeat hoc praemii tua indignitas, ut adulescentiae turpitudo obscuritate et sordibus obtegatur". Tum cursum honorum eius perlustrans, ubique mores Vatinii depravatos ostendere nobis indignatus festinat. De tribunatu Vatinii, ipsum usque alloquens, quaerit ex eo haec (Vat. 13): „Factus es tribunus plebis — quid enim te de Hispaniensibus flagitiis tuis sordidissimisque furtis interrogem? quaero abs te primum universe, quod genus improbitatis et sceleris in eo magistratu praetermiseris? ac tibi iam inde praescribo, ne tuas sordes cum clarissimorum virorum splendore permisceas".

Cum quodam tacito risu loquitur Cicero de Gallicis testibus, qui (Font. 33 [23]) *sagati bracatique* „vagantur laeti atque erecti passim toto foro, cum quibusdam minis et barbaro atque immani terrore verborum"; — tum de Graecis, qui (Rab. Post. 36) *umeris gestum agebant* (cf. Boissier, op. laud., p. 9). Duos de numero decem testium, qui adversus Caecinam testimonia ferebant, iocis perstringit, alterius statura alterius cognomine usus (Caec. 27): „Duo praeterea testes nihil de vi, sed de re ipsa atque emptione fundi dixerunt: P. Caesennius, auctor fundi, non tam auctoritate gravi quam corpore, et argentarius Sex. Clodius, cui cognomen est Phormio, nec minus confidens quam ille Terentianus est" (cf. Quint., op. laud. VI 3, 56). De Vatinii quoque nomine iocari videtur, cum haec dicit (Vat. 6): „quae tu vaticinando sperare te saepe dixisti" (quod nobis in memoriam revocat illos de Verris nomine in „Verrinis" ductos aliquoties iocos). Vitium corporis Vatinii, strumam dico, saepius Ciceroni materiam ad iocandum dedit. Cum Vatinius testis in P. Sestii causa iudices admoneret,

ut „medicinam adhiberent rei publicae", Cicero per iocum acute ei respondit (Sest. 135): „Ii medentur rei publicae, qui exsecant pestem aliquam tamquam strumam civitatis" (cf. Epist. ad Attic. II 9). Alio loco utitur Cicero verbo *dirumpendi*, quod non sine quodam obliquo deridendi studio dictum esse suspicari licet (Vat. 16): „C. Cosconius, iudex noster, quem tu dirumperis, cum aedilicium vides". Tum aliquoties palam de struma eius loquitur, ut (Vat. 10): „Cum mihi hic responderis aut ita impudenter, ut manus a te homines vix abstinere possint, aut ita dolenter, ut aliquando ista, quae sunt. inflata, rumpantur...". Et porro ita eum acriter depingit (Vat. 14): „Repente te tamquam serpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intulisti"; tum denique (Vat. 39): „Strumae denique ab ore improbo demigrarunt et aliis iam se locis collocarunt". Apud Quintilianum I 4, 14 de quodam teste legimus, quem Cicero, quod primam litteram nominis sui *(Fundanius)* dicere non posset, irrisit. Neque est, quod miremur Ciceronem ad huius modi iocos descendisse, cum ipse haec inter alia de iocandi usu praecipiat (de orat. II 239): „Est etiam deformitas et corporis vitiorum satis bella materies ad iocandum"; ibd. II 266: „Valde autem ridentur etiam imagines, quae fere in deformitatem aut in aliquod vitium corporis ducuntur cum similitudine turpioris..."

Nonnunquam Cicero, cum iocis in testes invehitur, etiam despicatui eos ducit proverbiis et dictis acutis apposite utens, ut ex. gr. cum hoc modo testes Asiaticos longius alloquitur (Flacc. 65): „Namque, ut opinor, Asia vestra constat ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia. Utrum igitur nostrum sit an vestrum hoc vetus proverbium ‚Phrygen plagis fieri solere meliorem'? quid de tota Caria? nonne hoc vestra voce volgatum est, si quid cum periculo experiri velis, in Care id potissimum esse faciendum? quid porro in Graeco sermone tam tritum atque celebratum est quam, si quis despicatui ducitur, ut Mysorum ultimus esse dicatur?" Non minus contemptim concludit: „Nam ego dicam de Lydia? quis umquam Graecus comoediam scripsit, in qua servus primarum partium non Lydus esset?" Simili modo, cum de nota Graecorum perfidia commemorat, iocandi contemnendique causa, quin proverbium idoneum et notum laudet, continere se non potest (Flacc. 10): „Unde illud est ‚da mihi testimonium mutuum'? num Gallorum? num Hispanorum putatur? Totum istud Graecorum est, ut etiam, qui Graece nesciant, hoc quibus verbis a Graecis dici soleat sciant?" (cf. Δάνειζέ μοι μαρτύριον).

Saepissime perstringit Cicero testes, ut iam monuimus, ironia, quae etiam sarcasmis acerbis excipitur. Itaque Cicero per ironiam narrat de Fideculanio Falcula, qui adversus Caecinam testabatur (Caec. 28): „Decimus vero loco exspectatus et ad extremum reservatus dixit, senator populi Romani, splendor ordinis, decus atque ornamentum iudiciorum, exemplar antiquae religionis, Fideculanius Falcula: qui cum ita vehemens acerque venisset, ut non

modo Caecinam periurio suo laederet, sed etiam mihi videretur irasci, ita eum placidum mollemque reddidi, ut non auderet, sicut meministis, iterum dicere, quot milia fundus eius abesset ab urbe; nam cum dixisset minus XL, populus cum risu acclamavit, ipsa esse. Meminerant enim omnes, quantum in Albano iudicio accepisset". Scite igitur in fine narrationis Cicero etiam suspicionem corrumpendi in quodam iudicio nunc per iocum movet, quo facilius, nimirum, testis ille homo improbus infidusque ab omnibus credatur. Ironiam in universum exercet in Asiaticis testibus; Asclepiadem quendam ironice vocat (Flacc. 36): „praeclarum... auctorem civitatis"; de Dorylensibus autem ita dicit (Flacc. 39): „Venio nunc ad Dorylensium testimonium, qui producti tabulas se publicas ad speluncas perdidisse dixerunt. O pastores nescio quos cupidos litterarum! Si quidem nihil istis praeter litteras abstulerunt...".

Tum sarcasmi acerbissimi plenum est id, quod de Iudaicis testibus legitur (Flacc. 69): „Stantibus Hierosolymis pacatisque Iudaeis tamen istorum religio sacrorum a splendore huius imperii, gravitate nominis nostri, maiorum institutis abhorrebat: nunc vero hoc magis, quod illa gens, quid de nostro imperio sentiret, ostendit armis; quam cara dis immortalibus esset, docuit, quod est victa".

Ironia et ambiguo lacessit Cicero Lysaniam, Asiaticum testem, de quo haec profert (Flacc. 43): „Princeps legationis Lysanias adeptus est ordinem senatorium, sed cum rem publicam nimium amplecteretur, peculatus damnatus est". Quem locum scholiasta Bobiensis ita commentatur: „Eleganti verbo usus est ‚amplecteretur'; est enim dubium: nam et qui diligit, amplectitur, et qui spoliat et intercipit aliquod ex aerario". Ambiguo verbo acerbe Cicero cum Decianum accusatorem tum eundem Lysaniam tangit, haec dicens (Flacc. 51): „Venio ad Lysaniam eiusdem civitatis, peculiarem tuum, Deciane, testem; quem tu cum ephebum Temni cognosses, quia tunc te nudus delectaverat, semper nudum esse voluisti..."

Iam contumeliae sequuntur, quibus scatent pleraeque orationes illius *disertissimi* patroni. Videamus aliquot exempla. Irae ac indignationis flamma incitatus ita Vatinium alloquitur (Vat. 15): „Id tu tibi, furcifer, sumes, et Vatinii latronis ac sacrilegi vox audietur, hoc postulantis, ut idem sibi concedatur quod Caesari?" et alias (ib. 39): „Si es odium publicum populi, senatus, universorum hominum rusticanorum: quid est quam ob rem praeturam potius exoptes quam mortem?" Per totam illam *interrogationem* admodum crebrae occurrunt huius modi voces contumeliosae tum epitheta talia ut: *taeterrimus* (ib. 9.), *impudentissimus* (ib. 10.), *turpissimus atque improbissimus* (ib. 20) etc. Qua ex parte non parcere videtur Gallicis quoque testibus, ut cum, speciem irati praebens, interrogat (Font. 44 [34]): „isti immani atque intolerandae barbariae resistemus?" Aliis locis, quos iam laudavimus, appel-

lat eos *impios, cupidos, mercennarios*... Etiam Graeci, oratoris sententia, sunt: *cupidi* (Flacc. 27), *perfidia et audacia praediti* (ib. 6), *impudentes* (ib. 9. 11), *barbari* (ib. 29).... De Heraclide Temnite legimus (Flacc. 42): „Heraclides ille Temnites homo ineptus et loquax", — et porro: „homo audacissimus pertimuit, loquacissimus obmutuit". Contemptui ducendi ac omni auctoritate spoliandi studium elucet ex his breviter dictis. Laudemus etiam alios locos ut nobis id planius illustretur; in Vatinium invehitur sic (Vat. 23): „Simulque mihi respondeto,... fuerisne non tribunus plebis, sed intolerandus ex caeno nescio qui atque ex tenebris tyrannus"; vel (ib. 17): „emersus e caeno, omnium facile omnibus rebus infimus"; tum etiam (ib. 23.): „qui in eo magistratu non modo emerseris ex mendicitate, sed etiam divitiis nos iam tuis terreas". His similia passim leguntur (cf. ib. 1. 11. 13 etc.).

Mirum in modum vehementibus et continuis interrogationibus obruit Cicero testes, praesertim autem illum Vatinium, quem vix respirare sivisse videtur. Velim id saltem, quod in fine oppressionis acerbissimae legitur, animadvertas nunc (Vat. 35): „Et quoniam legationis tuae facta mentio est, volo audire de te, quo tandem senatus consulto legatus sis? de gestu intellego, quid respondeas: tua lege dicis. Esne igitur patriae certissimus parricida? spectarasne id, ut partes conscripti ex re publica funditus tollerentur? ne hoc quidem senatui relinquebas, quod nemo umquam ademit, ut legati ex eius ordinis auctoritate legarentur? adeone tibi sordidum consilium publicum visum est, adeo afflictus senatus, adeo misera et prostrata res publica, ut non nuntios pacis ac belli, non oratores, non interpretes, non bellici consilii auctores, non ministros muneris provincialis senatus more maiorum deligere posset?" (cf. praeterea ib. 36. 37. 38 etc.). Itaque etiam qui vel semel totam illam *interrogationem* perlegerit, non mirum videbitur ei id, quod Cicero de ea contumelia ad Quintum fratrem scripserat (Epist. ad Quint. II 4): „Sestius noster absolutus est. Nam defendendo, moroso homini cumulatissime satisfecimus et — id quod ille maxime cupiebat — Vatinium, a quo palam oppugnatur, arbitratu nostro concidimus, dis hominibusque plaudentibus. Homo petulans et audax, Vatinius, valde perturbatus debilitatusque discessit". Sed haec hactenus.

Quaerere nunc liceat, utrum Cicero omnia, quae in orationibus legantur, ex animi sententia dixerit, an nullam suam ipsius auctoritatem in iis consignaverit. Qua de re ipse in oratione, pro Cluentio habita, dicit quae sequuntur (139): „Errat vehementer, si quis in orationibus nostris, quas in iudiciis habuimus, auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur: omnes enim illae causarum et temporum sunt, non hominum ipsorum aut patronorum; nam si causae ipsae pro se loqui possent, nemo adhiberet oratorem: nunc adhibemur, ut ea dicamus, non quae nostra auctoritate constituantur, sed quae ex re ipsa causaque ducantur". Quo loco satis evidenter patet oratorem confiteri se omnia temptasse,

ut causam sibi mandatam defenderet, neque tamen auctoritatem ipsius in orationis verbis consignavisse. Hic scilicet erat apud Romanos mos modusque defendendi accusandive illis temporibus! Tum res non minus nobis mira videtur: M. Antonium oratorem aiebant solitum esse dicere idcirco se nullam orationem scripsisse, ut posset negare dixisse id, quod non opus esset (cf. Clu. 140). Quae cum ita sint, necesse est efficiatur Ciceronem multa in orationibus dixisse, quae, ut causa victor exiret, de industria affectaret, multa cum in laudationibus tum in vituperandi consulto ac studio exaggerasse. Atque haec quidem causa primaria putanda est, cur Cicero inter cetera tam acerbe vehementerque in testes infestos invehatur. Ceterum, ut mihi quidem videtur, facile Cicero in his excusari potest etiam eis, quae de testibus leguntur apud Quintilianum, quem non solum in Ciceronis orationes, sed etiam in illius aetatis usum forensem diligenter inquisisse suspicari fas est. Inspiciamus itaque eius Inst. orat. V 7, 26, ubi legimus: „Reliquae interrogandi sunt partes: qua in re primum est nosse testem, nam timidus terreri, stultus decipi, iracundus concitari, ambitiosus inflari, longus protrahi potest, prudens vero et constans vel tamquam inimicus et pervicax dimittendus statim vel non interrogatione, sed brevi interlocutione patroni refutandus est aut aliquo, si continget, urbane dicto refrigerandus aut, si quid in eius vitam dici poterit, infamia criminum destruendus"; tum alias (ib. V 7, 30): „Extra causam quoque multa, quae prosint, rogari solent, de vita testium aliorum, de sua quisque, si turpitudo, si humilitas, si amicitiae accusatoris, si inimicitiae cum reo: in quibus aut dicant aliquid, quod prosit, aut in mendacio vel cupiditate laedendi deprehendantur". Neque dubitemus, quin multa apud Ciceronem adversus testes dicta id imprimis propositum habuerint, ut sicut res et tempus postularet, sensus iudicum formarentur; cf. Quint. V 7, 8: „Debet enim vel fieri vel detrahi testibus fides oratione perpetua, quia sic quisque dictis movetur, ut est ad credendum vel non credendum antea formatus".

Non abs re alienum fortasse mihi visum est laudare hic etiam ea, quae de testium fide examinanda lege 3. princ. Digest. 22, 5 (de test.) leguntur: „Callistratus libro quarto de cognitionibus. Testium fides diligenter examinanda est. Ideoque in persona eorum exploranda erunt in primis condicio cuiusque, utrum qui decurio an plebeius sit: et an honestae et inculpatae vitae an vero notatus quis et reprehensibilis: an locuples vel egens sit, ut lucri causa quid facile admittat: vel an inimicus ei sit, adversus quem testimonium fert, vel amicus ei sit, pro quo testimonium dat. Nam, si careat suspicione testimonium vel propter personam, qua fertur (quod honesta sit), vel propter causam (quod neque lucri neque gratiae neque inimicitiae causa fit), admittendus est. Ideoque divus Hadrianus Vibio Varo legato provinciae Ciliciae rescripsit eum, qui iudicat, magis posse scire, quanta fides habenda sit testibus...."

Itaque iam tota re breviter perpensa animadversiones his concludamus verbis: Cicero in testibus lacessendis impugnandisque id imprimis spectabat, ut ea, quae causa ab eo postulare videretur, ut victor exiret, dicerentur nec non — quae homines libenter audituri essent. Nam inter alia officia oratoris ipse in suis operibus rhetoricis saepius praecipit, ut orator delectet auditores (inspicias velim De orat. II 236: „Suavis autem est et vehementer saepe utilis iocus et facetiae"...; vel ibd. II 236: „est plane oratoris movere risum"). Nulla alia re autem magis eos delectari potuisse, quam iocis, quos ex Cicerone, cum de testibus narraret eosque irrideret, audirent, quis est, qui ignoret. Nonnunqam fortasse Cicero nobis nimis acerbus in iis fuisse videtur; non tamen obliviscendum est illud *Italum acetum* cum omni generi Latino tum etiam Ciceroni proprium fuisse. Ideoque non recte mihi videtur, si testes ab oratore impugnandos spectemus, vir omni doctrina praestantissimus, Drumannum dico, Ciceronem inter alia propter iocorum licentiam improbasse (cf. Geschichte Roms in seinem Uebergange von der republikanischen zur monarchischen Verfassung. Koenigsberg 1834—1844; v. VI). Quod autem ad contumelias et opprobria, quibus Cicero testes perfundit, attinet, ea de re ipse orator licet se suis insectatoribus iam excuset (Tull. 5): „nisi plane cogit (scil. causa), ingratiis ad male dicendum non soleo descendere".

Λευκὸν πέπλον.

Pauca quae de Herodis Attici innovatione scimus, qua iuvenes pro pullis candida pallia in pompa Eleusinia induere iussit, collegit Thaddaeus Zieliński (Eos XXV 1922, 63 sq.) ibique optime explicavit. Accedit huc aliud testimonium ex Cypriani Confessione (Acta Sanct. Sept. VII p. 222), ubi praeter alia innumera fere mysteria, quae Cyprianus didicit, Eleusinia quoque his quidem verbis memorantur: Ἔτι ὢν δέκα ἐτῶν ἐδαδούχησα τῇ Δημήτρᾳ καὶ τῇς Κόρης τὸ λευκὸν πέπλος ὑπέμεινα. L. Preller (Beitraege zur Religionsgeschichte des Altertums, in: Philologus I 1849, 349 = Ausgewaehlte Aufsaetze, Berlin 1864, 279 sq.) qui primus documentis huius libri usus est, hic adnotavit: „λευκὸν πέπλος ist ein Widerspruch, da die Trauer immer schwarz ist. Es wird Ἐλευσίνιον zu schreiben sein oder Ἐλευσῖνι". Attamen nihil hic movendum esse alia testimonia docent. Ceterum ne miratus sis hunc testem nihil facere ad confirmandam opinionem contendentem luctum referri ad Copreum, cum antiquorum de ritibus opiniones in universum ambiguae sint et ex poetarum fere libitu pendeant.

LYRICA GRAECA

1. Meleager, Anth. Pal. V 7 νῦν δ' ὁ μὲν ὅρκια φησιν ἐν ὕδατι κεῖνα φέρεσθαι vulgo: at κεινὰ legendum esse, efficitur et loco communi de amantium iuribusiurandis et ex ipso Meleagro Anth. Pal. V 174 οἶδα· τί μοι κενὸς ὅρκος κτλ.

2. Bacchylides[1]) XIV 18 [.]ΓΕΡΔΟΝΤΑΔΕΚΑΙΘΕΟΣΟ[

[ε]ὖ ἔρδοντα δὲ καὶ θεὸς ὀ[ρθοῖ suppl.Jebb. Eandem lectionem praebent Kenyon, Blass. Locum germanice vertit H. Jurenka (Die neugefundenen Lieder des Bakch., Wien 1898, 103): „Wer wacker sich aber müht, den erhöht auch die Gottheit". Quae versio tota falsa est.[2]) Εὖ ἔρδειν enim idem Bacchylidi audit ac *beneficum esse erga aliquem, bene de aliquo mereri* (Bacch. I 163. V 36) — aut idem ac *feliciter agere* (quod probatur versu XIII 65 ἀθάνατον κλέος εὖ ἐρχθέντ[ο]ς ἀσφαλεῖ σὺν αἴσᾳ). Hoc sane sensu poterat intellegi sententia: „deus hominem pro piis eiusdem factis extollit" (cf. I 156 sq. Ἰσθμιονίκαν θῆκεν ἀντ' [εὐε]ργεσιᾶν). Utrum alter, quem proposuimus, sensus hoc loco accipi possit necne, nunc quaeritur. Est nobis praesto argumentum, quo allato quaestio extemplo solvetur. Observavimus enim verborum denominativorum in -οω exeuntium apud Pindarum et Bacchylidem aoristum tantummodo et futurum usurpari, cetera tempora nusquam occurrere exceptis Pind. Ol. I 113 κορυφοῦται (cf. Hom. Δ 426), Ol. XII 9 τετύφλωνται, Isthm. V 56 τετύφλωται, Bacch. XIII 177 ἀμαυρο[υται. Similis est illorum verborum usus Homericus (perraro usurpatur praesens aut imperfectum, cf. K. Meister, Die Homerische Kunstsprache, Leipzig 1921, 86 sq.; etiam vide Brugmann-Thumb, Griech. Grammatik[4], München 1913, 357 sq.). Cuius normae grammaticae ratione habita Jebbianam coniecturam ὀ[ρθοῖ falsam esse quivis concedet. Iam aliud verbum, cuius forma disyllaba (— ⏑) in lacunam quadret, unum offertur:

[ε]ὖ ἔρδοντα δὲ καὶ θεὸς ὁ[ρμᾷ

ita supplemus atque altero intellectu supra proposito accepto sic poetae sententiam explicamus: virum feliciter agentem (i. e. victorem) deus videlicet impellit; sequitur Cleoptolemi victoriam incitamento divino deberi: quare Neptunus est celebrandus. — Similis plane sententia occurrit apud Pindarum Pyth. X 10 Ἄπολλον, γλυκὺ δ' ἀνθρώπων τέλος ἀρχά τε δαίμονος ὀρνύντος αὔξεται (O. Schroeder, Pindars Pythien, Leipzig-Berlin 1922, 93 hoc ita interpretatur: „Wenn ein Gott den Menschen treibt, so gedeiht sein Tun von den Anfängen bis zum beglückenden Erfolg"). Verum et

---

[1]) Carminum numeros afferimus Kenyonianos; editione utimur Fr. Blass-Guil. Suess, Bacchylidis carmina, [4] Lipsiae 1912.

[2]) Cf. etiam Wilamowitz, Sappho und Simonides, Berlin 1913, 184 sq.

apud ipsum Bacchylidem gemina sententia reperitur XVIII 41 sq. ἡ θεὸς αὐτὸν ὁρμᾷ, δίκας ἀδίκοισιν ὄφρα μήσεται· οὐ γὰρ ῥᾴδιον αἰὲν ἔρδοντα μὴ 'ντυχεῖν κακῷ i. e. *deus certo ipsum impellit: nec enim aliter facile est semper aliquid molientem in malum non incidere.*

Ea quam supra proposuimus regula praeterea God. Hermanni εὐανδροῦν, quod Pind. Pyth. I 40^{b} pro codd. εὔανδρον legendum censuerat, falsum esse demonstrat. Bacch. III 26 τελε[ιοῦσαι Kenyon male supplevit, praesertim cum verbum τελειόω a locutione Homerica et chorica omnino sit alienum; longe rectius τελέ[σσαντος Wackernagel. Eademque de causa Pind. frg. 169, 3 Schr. ἄγει δικαιῶν lectio vera esse non potest.

3. Pind. Ol. I 113 <ἀμφ'> ἄλλοισι δ' ἄλλοι μεγάλοι κτλ. add. Schroeder (Appendix Pindarica, Lipsiae 1923, 510; iam anno 1900 coniectum erat). Primum periodi (2 dochm. + Reizianum) membrum dochmius est quem Schroeder ea quae deficiebat syllaba suppleta ita metitur: ⏑ — — ⏑ —. At molossum in versiculo minuto effectum epinicio Pindarico tribuere non licebat (v. Eos XXV 1922, 101). Itaque cum syllaba desideretur brevis, nihil aliud restat quam ut <ἐπ'> ἄλλοισι add. *b* (siglum est ed. min. Schroederianae^{2} 1914) cum grammaticis Byzantiis legamus.

4. Pind. N. VII 82 (ed. O. Schroeder, ed. min. Lipsiae^{2} 1914)

. . . βασιλῆα δὲ θεῶν πρέπει
δάπεδον ἂν τόδε γαρύσειν θεμερᾷ ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — ὑπό·

θαμερᾷ B, θεμερᾷ D, ἀμέρᾳ Hermann (metri causa). Rursus in textum θεμερᾷ Wilamowitz (a. 1908) reduxit, cum etiam apud Pindarum dochmio anapaestum respondere posse poneret (cf. Griech. Verskunst, Berlin 1921, 407). Quae licentia cum nullo praeter hoc probetur exemplo, abiudicanda Pindaro nobis quidem videtur, in quo idem sentimus cum Paulo Maas (Die neuen Responsionsfreiheiten bei Bakchyl. u. Pind. Berlin 1914, 13 sq.). Itaque cum locum corruptum esse suspicemur, γαρύεν θεομόρῳ (=θευμόρῳ) conicimus (hanc scil. dochmii formulam ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — subesse putamus). De responsionis licentia cf. Ol. I 9 ∾ 20; Ol. II 2 ∾ 68 (v. adnot. crit.); de infinitivi exitu librorum memoria mutato cf. Pind. N XI 18 μελίζεν Pauw: μελιζέμεν codd. (cf. Appendix Pind. p. 524). De voce θεόμορος cf. Rumpel, Lex. Pind. s. v.

5. Bacchyl. XI

118 ἄλσος τέ τοι ἱμερόεν
Κάσαν παρ' εὐυδρον ἱπρόγο-
120 νοι ἐσσάμενοι, Πριάμοι' ἐπεὶ χρόνῳ
121 βουλαῖσι θεῶν μακάρων
πέρσαν πόλιν εὐκτιμέναν

(cf. adnot. crit. apud Blass-Suess; Maas, Responsionsfreih. I 22 sq., II [Berl. 1921] 19 sq.; Wilamowitz, Griech. Verskunst 422^{2}).

Sententia praedicato carens laborat, numeri hiatu corrupti apparent. Tum ex iis, qui versibus 119—20 respondent, numeris

(— — ⏑ — — — ⏑ ⏓ | ⏓ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — — — ⏑ —) colligimus post octavam syllabam periodi pausam esse, quae hic voce πρόγονοι obducitur; πρόγονοι igitur corruptum est. Iam si ἑσσάμενοι quidem sanum est, patet inter εὔυδρον et periodi pausam praedicatum disyllabum ⏑ ⏓ olim fuisse, in ipso autem sequentis periodi initio ante ἑσσάμενοι vocem monosyllabam desiderari; quam ob rem censeo legendum:

ἄλσος τί τοι ἱμερόεν
Κάσαν παρ' εὔυδρον κ τ ί σ α ν ||
οἵδ' ἑσσάμενοι, Πριάμοι' ἐπεὶ χρόνῳ κτλ.

Οἵδε sunt Achivi Metaponti conditores, proavi scil. horum, ad quos carmen pertinet: ideo hoc loco pronomen ὅδε usurpari potest (cf. Rumpel, Lex. Pindar. p. 324).

6. Bacchyl. IX

12 ἄθλησαν [ἐ]π' Ἀρχεμόρῳ, τὸν ξανθοδερκὴς
πέφν' ἀσαγευοντα δράκων ὀπίροπλος.
ΑΣΑΓΕΡΟΝΤΑ pr., corr. A.[s]

De Archemoro v. Roscher, Lex. Myth. s. v. I col. 472; s. v. Hypsipyle I col. 2854. — In voce ασαγευοντα corrupta latere participium εὕδοντα iam Kenyon, The poems of Bacchylides 1896, 73 suspicatus erat collato Statio Theb. V 504 *labitur in somnos*. Ante εὕδοντα fortasse causa dormiendi afferebatur. Ideo

πέφν' ἄσαις εὕ<δ Kenyon>οντα

legendum proponimus. Sane vocis ἄση quae sit vis, nondum pro certo exploratum est (egit hac de voce Wilamowitz, Sappho und Simonides, Berlin 1913, 45). Scilicet Archemorus in gramine relictus novos flores videndi studio cupide apium legebat, mox s a t i e t a t e affectus obdormivit. Accedit quod Plutarcho, cum de amicitiarum s a t i e t a t i b u s ageret, visum est Hypsipylae Euripideae locum (frg. 754 Nauck[2]; H. Arnim, Supplem. Euripid., Bonn 1913, 56) afferre, qui ad Archemorum quidem pertinet: legas velim ipsa verba Plutarchi, De mult. amic. p. 93 D: μᾶλλον δ' ὥσπερ ὁ τῆς Ὑψιπύλης τρόφιμος εἰς τὸν λειμῶνα καθίσας ἕδρεπεν „ἕτερον ἐφ' ἑτέρῳ αἱρόμενος ἄγρευμ' ἀνθέων ἡδομένᾳ ψυχᾷ τὸ νήπιον ἄπλητον (sic. p. 661 F: ἄχρηστον) ἔχων" οὕτως ἕκαστον ἡμῶν διὰ τὸ φιλόκαινον καὶ ἀ ψ ί κ ο ρ ο ν ὁ πρόσφατος ἀεὶ καὶ ἀνθῶν ἐπάγεται. (Cf. Plut. quaest. conviv. p. 661 F). Praeterea cf. Statium Theb. V 502 sq. *Ille graves oculos languentiaque ora comanti Mergit humo, fessusque diu puerilibus actis Labitur in somnos*. Haud scio an cum hac pueri affectione vox ἄση non male concinat.

Varsoviae. ALEXANDER TURYN.

LA TECHNIQUE D'ANNONCER LES EVENEMENTS FUTURS CHEZ HOMERE

par

IGNACE WIENIEWSKI.

En observant attentivement l'évolution de la critique homérique, on remarque facilement dans sa phase actuelle, qui dure d'ailleurs depuis bien des années, un certain changement d'intérêt chez les philologues qui s'occupent de l'Iliade et de l'Odyssée. Si, en effet, le XIX^{e} siècle qui, dans le domaine de la science homérique, naquit sous les auspices de Wolf, a été absorbé avant tout par le problème de l'origine des deux poèmes, si vers la fin de ce siècle et au commencement du siècle suivant c'est la question du caractère, populaire ou artistique, de l'épopée qui a prédominé, — l'on peut constater à présent un accroissement de l'intérêt des savants pour les principes de la poétique et pour les moyens techniques d'Homère.

Car l'analyse du texte des deux poèmes, exercée pendant un siècle dans l'esprit anti-unitaire par les successeurs de Wolf et de Lachmann eut, il est vrai, une importance capitale pour la connaissance approfondie de la composition de l'épopée, mais elle finit par causer, chez les uns, une réaction dans le sens d'unitarisme, si caractéristique pour la phase actuelle de la critique homérique, ou bien, chez les autres un certain scepticisme et un découragement concernant les résultats de l'analyse du texte. On aborda par conséquence d'autres problèmes qu'on put résoudre d'une façon absolue. Cette satisfaction a été donnée aux philologues en grande partie par la question du caractère des poèmes homériques. Ici, en effet, l'on a définitivement renversé la théorie romantique, ébranlée depuis longtemps, du caractère populaire de l'épopée grecque: celle-ci passa dès lors pour artistique par excellence. Ce n'est que dans la question du caractère de cour des poèmes homériques qu'on n'est pas arrivé à obtenir l'unanimité, bien que la majorité de philologues se soit prononcée en faveur de cette théorie.

La reconnaissance définitive du caractère artistique de l'Iliade et de l'Odyssée fut suivie par une vague d'intérêt pour la poétique d'Homère. Si, en effet, un barde populaire et primitif compose son poème dans l'inconscience des effets esthétiques et des moyens techniques qui y mènent, un artiste est bien familiarisé avec eux; de sorte que sa poétique présente pour le savant un intérêt remarquable.

En face du progrès immense réalisé dans les autres domaines de la science homérique, il faut constater qu'en ce qui concerne la poétique des deux épopées, la philologie est encore loin

d'avoir dit son dernier mot. On sait qu'un des premiers hellénistes qui se soient occupé de ce problème, c'est M. Thaddée Zieliński dans sa dissertation intitulée „Die Behandlung gleichzeitiger Ereignisse im antiken Epos" (Philologus, Suppl. VIII 3. 1901, p. 405 sq.). Il n'est pas étonnant que, dans l'enthousiasme de découvrir les secrets de la poétique d'Homère, certains savants (Drerup, Stürmer) vont trop loin, en voyant, dans l'Iliade et dans l'Odyssée, un trop grand nombre de règles poétiques, qui formeraient ensemble un système d'une raideur tout-à-fait géométrique.

Parmi les traits les plus caractéristiques de la poétique d'Homère, on trouve l'habitude d'annoncer d'avance les événements futurs de l'action. Nous laissons pour plus tard l'appréciation de la valeur de cette habitude qui affaiblit la tension de l'intérêt de l'auditeur ou du lecteur. Pour le moment, nous voulons attirer l'attention sur l'importance considérable du problème d'annonces homériques, surtout pour la question de l'origine des deux poèmes. Si notamment un chant renferme l'annonce d'un événement présenté dans un chant ultérieur, cela prouve que l'auteur du premier avait déjà dans son esprit le plan de l'autre, c'est à dire qu'il a composé tous les deux. Etant donné le grand nombre de ces annonces — l'Iliade en compte 217, l'Odyssée 185 —, les unitaires y gagnent un argument de premier ordre en faveur de leur théorie.

Cependant, avant que les unitaires l'eussent remarqué, leurs adversaires se rendirent compte du péril. En voyant dans les annonces le danger que couraient leurs hypothèses, ils s'efforçaient à démontrer la non-authenticité de ces passages et à les représenter comme interpolés. Nous ne voulons point affirmer par là que ce motif ait été la seule cause des athétèses des anti-unitaires dans de pareils cas; mais il nous semble indubitable que cette circonstance n'a pas été sans exercer une forte influence sur ces philologues. Plus d'un adversaire de l'unitarisme, dans sa critique du texte homérique, l'a révélé à son insu.

Par conséquent, en fixant la liste d'annonces, il faut, à chaque pas, tenir compte d'arguments de ceux qui demandent leur athétèse. Et il y a fort peu d'annonces dont l'authenticité n'ait jamais été attaquée. Il se trouve, bien sûr, de cas où l'interpolation est évidente. Mais pour la plupart, on est en présence de cette sécheresse d'esprit, si caractéristique du savant qui ne reconnaît que la logique absolue de la raison pure et du sens commun et qui exclut les lois de la psychologie, pourtant plus compétentes dans le domaine de la poésie que les règles froides de la logique.

Mais ce ne sont pas ces questions dont nous avons à nous occuper. Nous allons laisser de côté tous les problèmes de la critique du texte et toutes les conclusions qui résultent de l'existence des annonces pour la question de l'origine des poèmes homériques.

En revanche, nous traiterons des annonces uniquement du point de vue de la poétique, en ne prenant en considération, comme il est naturel, que les annonces dont l'authenticité n'est pas pour nous douteuse.

On est en présence d'une annonce toutes les fois que le poète nous prévient directement d'un événement futur; on ne l'est pas nécessaiement toujours, quand le poète est remplacé dans ce rôle par un des personnages de l'action. Ces personnages peuvent, en effet, parler de l'avenir sous forme de souhaits, d'ordres, de prières, de menaces, de pressentiments, de prophéties etc. qui, il est vrai, se réalisent, à l'exception des menaces toujours, mais qui ne sont des annonces que dans un sens plus général.

Il y a lieu d'étudier ici avant tout des cas où l'avenir nous est dévoilé par le poète lui-même. C'est là une des manifestations principales de l'élément subjectif dans l'épopée.

Etudions d'abord l'exposition, placée au début de chacun des deux poèmes. Le poète y présente les bases sur lesquelles doit s'appuyer l'action et il annonce, sous forme d'invocation, de qui et de quoi il va s'occuper. Dans les deux épopées, l'axe de toute l'action nous est révélée par le premier mot du texte; il s'agit de la colère pour l'Iliade, de la personne d'Ulysse pour l'Odyssée. La ressemblance de la poétique dans l'une et dans l'autre se manifeste encore dans le fait que leurs προοίμια ne résument pas d'une manière pédantesque l'action toute entière, mais seulement sa grande partie: dans l'Iliade sont annoncées les conséquences de la colère d'Achille, c'est-à-dire les défaites des Achéens jusqu'à l'intervention du Pélide au champ de bataille; dans l'Odyssée, c'est à peu près la moitié, à savoir les aventures du héros principal jusqu'à la mort de ses compagnons (fin du chant XII) et avant son arrivée chez Calypsô, où commence précisément l'action. Donc, le προοίμιον, en sa qualité d'exposition, nous présente seulement les bases de l'action, dont il ne révèle que ce qui est nécessaire pour exciter notre interêt. Peut-être le poète y réussit-il mieux dans l'Iliade, où il annonce les défaites futures des Achéens d'une façon très générale et mystérieuse; de sorte que notre curiosité ne subit aucune détente. Par contre, dans l'Odyssée, le προοίμιον est un peu trop détaillé. Quand Homère s'indigne contre la folie des compagnons d'Ulysse, qui mangèrent les boeufs d'Hélios, on a l'impression que le poète, mû par indignation, nous révèle plus qu'il n'aurait voulu, en annonçant un détail important du récit d'Ulysse chez Alcinoüs.

Cependant, pour la plupart, Homère annonce l'avenir en pleine conscience et avec un calme vraiment épique. De telles annonces du poète lui-même (outre les deux προοίμια), l'Iliade en compte 40, l'Odyssée 21. J'en choisis quelques exemples les plus caractéristiques. Quand Hector (K 328 sq.) jure à Dolon de lui faire présent des chevaux et du char d'Achille pour sa sortie au

camp achéen, le poète nous prévient que c'était un parjure. Ces termes nous annoncent donc d'une façon mystérieuse que Dolon ne va pas rentrer de son expédition. — De la même manière mystérieuse, Homère nous fait prévoir la mort de Patrocle Λ 603 sq. Appelé par Achille il sortit de la tente, mais ceci — dit le poète — fut le commencement de sa perte. Nous savons en effet que le Pélide allait envoyer son ami chez Nestor, qui devait l'engager à obtenir chez Achille la permission de prendre part au combat, où l'attendait la mort. — Une annonce bien plus claire se trouve p. ex. N 601 sq. où Ménélas est attaqué par Pisandre, que son sort fatal pousse vers la mort; et, en réalité, il périt bientôt. — L'annonce de la mort de Patrocle Π 692 sq. paraît sous la forme intéressante de question: „Quel fut alors — demande le poète — le premier, quel fut le dernier que tu tuas, ô Patrocle, quand les dieux t'appelèrent à la mort?" — Dans l'Odyssée, Homère nous prévient α 19 sq. que même après le retour d'Ulysse en Ithaque le héros n'y trouvera pas de repos et qu'il sera encore obligé de lutter. — ι 228 sq. Ulysse raconte, dans ses „apologues", aux Phéaciens que ses compagnons lui conseillèrent de voler Polyphème et de s'enfuir, mais qu'il n'y consentit pas; il eut tort, car le Cyclope allait se montrer bien peu hospitalier. Bien que ce soit Ulysse qui le dise, nous ne comptons pas ce passage au nombre d'annonces faites par les personnages agissantes, parce que le héros parle ici de l'avenir non pas au cours même de l'action, mais ex post, en auteur du récit, de sorte qu'il y tient le rôle du poète lui-même. — σ 153 sq. impresionné par les paroles d'Ulysse, Amphinome a de lugubres pressentiments; et en réalité, — ajoute Homère — il n'a pas échappé à la mort, car Télémaque l'a tué avec sa lance. Cette annonce va se réaliser quatre chants plus tard.

Comme nous l'avons déjà mentionné à propos du προοίμιον de l'Odyssée, le poète constate parfois la folie des personnages qui, dans l'ignorance de l'avenir, agissent d'une façon déraisonnable. Le terme usité dans ces cas pour caractériser un tel personnage est νήπιος, mis presque toujours au début du vers. Ce genre d'annonce ne paraît dans l'Odyssée que deux fois, dont une fois précisément dans le προοίμιον, sans compter le passage interpolé χ 32 sq. En revanche, dans l'Iliade, de tels cas se trouvent au nombre de neuf. Ainsi p. ex. Π 46 sq. Patrocle, en demandant à Achille la permission d'aller au combat, ne prévoyait pas, μέγα νήπιος, qu'il demandait sa mort. Et il y a lieu de souligner que si nous avons reconnu les annonces du poète en général pour une des manifestations principales de l'élément subjectif dans l'épopée, c'est dans cette catégorie qu'il est le plus fort. Le poète y dévoile, en effet, non seulement sa propre pensée, mais encore son propre sentiment, sentiment d'indignation, de mépris ou de pitié dédaigneuse, dans ce seul mot: νήπιος.

Le genre le plus connu d'annonces du poète lui-même, c'est l'usage de révéler l'effet des prières des héros. Cet usage est presqu'une règle. De cette façon Homère, en nous informant si oui ou non la divinité a exaucé la prière de quelqu'un, nous dévoile par là-même le futur cours d'événements, qui en sera précisément le résultat. Les exemples en sont nombreux et bien connus. Ainsi, tout au début de l'Iliade A 43, l'on apprend qu'Apollon a exaucé la prière de Chrysès de venger son outrage sur les Achéens: nous prévoyons tout de suite le châtiment. — Le résultat de la prière II 249 sq. est présenté d'une manière spécialement détaillée. Quand notamment Achille supplie Zeus que Patrocle refoule les Troyens des vaisseaux et qu'il rentre du combat sain et sauf, Homère ajoute que le dieu a exaucé la première prière et rejeté la deuxième. On sait avec quelle exactitude ces termes annoncent l'avenir. Dans tous les cas de ce genre la formule caractéristique est:

ὣς ἔφατ' εὐχόμενος, τοῦ δ' ἔκλυε....

Enfin, la dernière catégorie de cas où les futurs événements nous sont révélés par le poète lui-même, sont les annonces indirectes, contenues dans les comparaisons. De tels cas, au nombre de quatre, ne se trouvent que dans l'Iliade. II 259 sq. les Myrmidons qui se précipitent sur l'ennemi sont comparés aux guêpes irritées par les enfants (c'est-à-dire: par des Troyens) dont la sottise leur causera de tourments cruels. De cette manière curieuse Homère nous fait pressentir la défaite troyenne dans le II. — De même, II 251 sq., il nous informe d'avance de la mort de Patrocle, par la comparaison de ce héros au lion qui, en ravageant une écurie, reçoit un coup dans la poitrine et périt par sa fureur belliqueuse. — X 22 est annoncée la victoire d'Achille. Car celui-ci court vers la ville comme un cheval victorieux dans les jeux. Enfin, tout de suite après (X 30 sq.), Priame aperçoit le Pélide, semblable à l'astre resplendissant (le „Chien d'Orion") dont l'apparition est pour les hommes l'augure de malheurs. Cette comparaison constitue donc l'annonce indirecte du malheur qu'Achille va causer à Priame en lui tuant son fils.

Telles sont, brièvement, les annonces du poète lui-même. Nous voyons qu'à l'exception, peut-être, de la dernière catégorie elles sont claires et non équivoques. En revanche, les annonces faites par les personnages, de beaucoup plus nombreuses que celles du poète, ne dévoilent que parfois l'avenir avec tant de netteté. Examinons ces cas de plus près.

Studiorum Leopolitanorum fasciculo II° Leopoli a. 1924 edito demonstrare conatus sum Novi Testamenti verba composita praepositione praefixa vim perfectivae actionis non accipere. Tractavi tantum stirpem praesentis et vix in paucissimis exemplis difficilius videbatur actionem imperfectivam statuere. Ad aliquos locos difficiliores editor St. Witkowski suas adiecit observationes (p. 79). Atque ad Luc. 10,40, ubi imperfectum in aoristum mutare volui docet imperfectum hic defendi posse: ἡ δὲ Μάρθα περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν· ἐπιστᾶσα δὲ εἶπεν· κύριε, οὐ μέλει σοι ὅτι ἡ ἀδελφή μου μόνην με κατέλειπεν διακονεῖν; Witkowski interpretatur „per totum tempus usque ad hoc momentum s i n e b a t me solam ministrare", neque ego amplius in mea sententia persevero, cum loco certissimo, utpote metrica ratione munito, docear talem usum a slavicarum linguarum consuetudine discrepantem a Graecis usurpatum esse, scil. Odyss. λ 86 τὴν ζωὴν κατέλειπον ἰὼν εἰς Ἴλιον ἱρήν: Polonice perfectivum hic adhibeas necesse est.

Cum de actione verborum compositorum N. T. quaererem, repperi non veram esse opinionem in aoristica actione plurimum praeverbium valere, quod verba composita saepius aoristum quam stirpem praesentis exhiberent. Nam si exempla, in quibus ea verba occurrunt in examen vocamus, videmus raro tantum nos sentire in actione aoristica percipienda praepositioni praefixae deberi quicquam. Iam propono numeros meos e quibus evincitur praeceptum: interpretandos esse locos, non numerandos. Interpretatus sum locos varios, in quibus verba composita cum praeverbio

	exhibebant actionem quae nihil praeverbio debebat	quae nonnihil praepositionis auctoritati debere videbatur
συν-	44	2
δια-	33	9
κατα-	50	10
ἀπο-	45	4 (sed in his aoristi verborum ἀποκτείνω et ἀπόλλυμι)
ἐξ-	35	4
εἰς-	3	—
μετα-	9	—
ἀνα-	33	1

Futura nihil in actione designanda praeverbio debebant.

Leopoli. ARTHURUS RAPAPORT.

MEDII USUS DIODORI ET DIONYSI HAL. QUATENUS AB ATTICA LINGUA DIFFERAT

scripsit

M. AUERBACH.

Quae ratio inter activi et medii usum syntacticum in lingua Graeca intercedat nondum plane exploratum esse inter viros doctos constat. Quamquam activi et medii vim iam in universum intellegimus, quamquam generalem harum formarum syntacticarum historiam cognitam habemus, tamen singula ut plerumque adhuc obscura sunt. Sciscitans enim, utrum aliquando auctor forma media usus sit certo consilio ad aliquid exprimendum certumque ac definitum intellectum huic formae subiciendum, an sine consilio et ullo intellectu, sed — ut ita dicam — potius maiorum more medium posuerit, apud doctos varias explicationes invenies. Neque id mirum. Quamdiu activi et medii usus apud singulos auctores non erit accurate descriptus, tamdiu multae quaestiones incertae et obscurae manebunt. Nam desiderantur adhuc dissertationes, quae has quaestiones apud recentioris aevi auctores tractent. Quem defectum pro mea parte relevaturus activi et medii usum in Diodori Siculi Bibliotheca et Dionysi Hal. Antiquitatibus Romanis hic tractandum mihi proposui.

Quid inter harum formarum usum apud pedestris orationis scriptores Atticos et Diodori Dionysique intercedat disquirens, prius ea tractabo verba, in quibus solus Diodorus aut Dionysius ab usu discedit Attico, tum ea, in quibus uterque scriptor ab Attico sermone abhorret. Primum vero in ea inquiram verba, in quibus Attici scriptores medio utebantur, posteriores vero activum ponebant, deinde in verba, quorum posteriores medium usurpabant, quamquam Attici sermonis pedestris auctores activum genus adhibuerunt; postremo ea enarrabo verba, in quibus Diodorus et Dionysius verbi genera confuderunt eisque promiscue usi sunt. Separatim praeterea enumerabo verba, quae a posterioribus vi intransitiva, a veteribus vi transitiva usurpabantur.

Iam saec. V a. Chr. n. activi et medii usus in universum stabilitus erat et saepe duorum compositorum verborum, quae solis praepositionibus nullum momentum ad verbi genus afferentibus inter se discrepant, alterum forma activa, alterum media adhibebatur. Longe aliud est, cum auctor aevi recentioris verbi cuiusdam medio genere pro activo prisco utitur praepositione in verbi fronte mutata, aliud vero, cum auctor verbum, quod prisca

---

Debitas gratias habeo Stanislao Witkowski, professori Leopolitano ac magistro meo, qui me ad dissertatiunculam hanc condendam impulit, scribentem consilio suo nunquam destituit.

aetate activum adhibebatur, in media forma ponit, quamquam praepositionem non mutavit. Omitto ea verba, quae mutata praepositione et genus mutaverunt, quia totum verbum novum recensque esse arbitror.

In unaquaque parte singillatim ea enumerabo verba, quae apud Diodorum et Dionysium primum mutato genere occurrunt, tamquam ab eis novata. Quamquam non ignoro verbum, quod primum apud scriptorem quendam occurat, antiquiore tempore nasci potuisse, sed casu fortuito in litteris non inveniri.

I. Verba a Diodoro genere activo, a scriptoribus Atticis medio posita:

ἀκρωτηριάζω *extremitates corporis amputo, corpus mutilo* Diod. IV 10,3 τοὺς γὰρ παραγενομένους...ἀκρωτηριάσας... Xenoph. Hell. VI 2,36 ὁ μέντοι Ἰφικράτης τὰς μὲν τριήρεις ἀκρωτηριασάμενος...κατηγάγετο; Demosth. 18,296 ἄνθρωποι μιαροὶ καὶ κόλακες καὶ ἀλάστορες ἠκρωτηριασμένοι τὰς ἑαυτῶν ἕκαστοι πατρίδας. — Scriptores recentioris aevi activa forma utuntur, ut Polyb. V 54,10 ἀκρωτηριάζων δὲ καὶ φονεύων... πολλοὺς διέφθειρε; ibid. IV 43,2; I 80,13 ἐπειδὴ δὲ τὰς χεῖρας ἀπέκοψαν, ἠκρωτηρίαζον τοὺς ταλαιπώρους; Strab. II 40, p. 92; Lucian. secundum Schmidii Atticism. I 239; Athen. XII 524 D πάντων τῶν ἀνθρώπων... ἠκρωτηρίαζον τὰς ῥῖνας; 2 Maccab. 7,4; Polyaen. VII 12 ἀκρωτηριάσας τὸ πρόσωπον.

διορθόω *corrigo, restituo.* Diod. XII 16,3 διορθοῦν δὲ συνεχώρησε τὸν χρείαν ἔχοντα διορθώσεως (sc νόμον); XII 17, 2 διορθῶσαί τινα νόμον; XVI 82,6 τοὺς...νόμους...διώρθωσε. Medium in unoquoque fere libro eadem significatione occurrit. Dionysius solo medio utitur, ut VI 83, 4. In scriptorum Atticorum lingua activum rarissime occurit, ut Isocrat. Panathen. 262 συμβουλεύω...μὴ κατακάειν τὸν λόγον...ἀλλ' εἴ τινος ἐνδεής ἐστι, διορθώσαντα...διαδιδόναι τοῖς βουλομένοις λαμβάνειν. Ceteris locis idem Isocrates medium ponit, ut Panegyr. 181 ἄξιον...σκοπεῖν, ὅπως...μέλλοντα διορθωσόμεθα; Nicocl. 31 εἰδὼς ἑτέρους ἐν τοῖς τοιούτοις καιροῖς ἐκ παντὸς τρόπου τὰ σφέτερ' αὐτῶν διορθουμένους. Demosthenes solo medio utitur. Aristeae Epist. 37 διορθούμενοι καὶ εἴ τι κακῶς ἐπράχθη. Polybius promiscue genera usurpat, ut IV 24,4 διορθοῦν; I 7,2 διορθοῦσθαι... τὴν αὐτῶν πίστιν; III 58,4 διορθουμένους τὴν ἄγνοιαν αὐτῶν, passim.

εὑρίσκειν *invenire, impetrare.* Scriptores Attici accurate et subtiliter inter activum et medium distinguunt[1]) et εὑρίσκειν notione *inveniendi*, εὑρίσκεσθαι notione *impetrandi* usurpant. Idem in Dionysi Ant. invenies. Cf. I 65, 5 ἄδειαν εὑρόμενος *impetrata fide;* V 49,2 εὑρίσκονται διαλλαγὰς καὶ κατάλυσιν τοῦ πολέμου *foedus im-*

[1]) cf. J. Wackernagel, Vorlesungen über Syntax. Erste Reihe. Basel 1920, 125.

petrant; V 73,1 τὴν ἀρχὴν εὑρόμενος *potestate impetrata*, passim. Diodorus vero activi et medii discrimen iam non novit et activum ponit ubique, etiamsi medium ponendum erat, ut V 38,3 δεινοὶ γάρ, ὡς ἔοικεν, ὑπῆρξαν οἱ Φοίνικες ἐκ παλαιῶν χρόνων εἰς τὸ κέρδος εὑρεῖν, οἱ δ' ἀπὸ τῆς Ἰταλίας εἰς τὸ μηδὲν μηδενὶ τῶν ἄλλων καταλιπεῖν, passim.

καταπαύω pro Attico medio καταπαύομαι vi intransitiva *requiescendi* apud Diodorum occurrit XII 12,1 ἔφη γὰρ τοὺς μὲν πρῶτον γήμαντας καὶ ἐπιτυχόντας δεῖν εὐημερούντας καταπαύειν; XX 70,4 τὸ πνεῦμα κατέπαυσεν (Arnoldt c. κατέπεσεν). — Apud scriptores Atticos solus imperativus παῦε notione intransitiva occurrit (locos laudat Kühner-Blass, Ausführliche Grammatik der griech. Sprache II 1,510 s. v.). Sed imperativus desinentiis carens solam actionem significat neque personae neque generis verbi aut numeri rationem habet[1]). Perraro a poetis activum vi intransitiva usurpatur: Odyss. ε 659 κάθισαν καὶ παῦσαν ἀέθλων; Eurip. Hec. 918 μολπὰν δ' ἄπο καὶ χοροποιῶν θυσιῶν καταπαύσας πόσις ἐν θαλάμοις ἔκειτο. LXX et Novum Testamentum saepe activum vi intransitiva exhibent, ut LXX Gen. 2,2; Exod. 31,18; Hebr. 4,4; 4,18 κατέπαυσεν ὁ θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ ἀπὸ πάντων τῶν ἔργων[2]).

περικυκλόω *cingo*. Diod. XIII 19,2 περικυκλώσαντες... scripsit. Auctores classici medio utuntur, cf. Xenoph. Anab. VI 3,11 οἱ δὲ Θρᾷκες πάντες περικεκυκλωμένοι εἶεν αὐτούς; Aristoph. Av. 345. Posteriores activum ponunt, quod iam in Aristotelis H. A. IV 8 occurrit ὅταν ἀθρόως περικυκλώσωσι (sc. τοὺς δελφῖνας) τοῖς μονοξύλοις; LXX Gen. 19,4; Ios. 7,9; Exod. 39,11; Luc. 19,43.

χειρόω *vincere, subigere*. In Attico sermone hoc verbum deponens medii est χειρόομαι, ἐχειρωσάμην. Solum partic. perf. pass. vim passivam raro habet, ut Plat. Leg. XI 919 A ὡς δ' ἐχθροὺς αἰχμαλώτους κεχειρωμένους ἀπολυτρώσῃ. Et Dionysius et Diodorus hoc modo verbo utuntur, ut Dion. I 34,1 πάντα χειρωσάμενος; Diod. XVII 91,2 ἃς μὲν βίᾳ χειρωσάμενος. Diodorus vero etiam activum exhibet neque solum in participio (XI 19,1 τῶν δὲ Φοινισσῶν...ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων χειρουμένων), sed etiam in aliis formis, ut XIV 60,4 αἱ δὲ λοιπαὶ τῶν νεῶν...ὑπὸ τῶν Καρχηδονίων ἐχειροῦντο; XVII 90,2 βίᾳ μὲν οὐ ῥᾳδίως χειροῦται *vi haud facile vinci potest*.

διαβεβαιόω, *affirmare, asseverare*. Diod. XV 44,3 τὴν δὲ δοκιμασίαν ἡ χρεία διαβεβαιοῦσα; XX, 68,2 διαλύσεις δ' οὐκ ἐνόμιζε ποιήσεσθαι τοὺς βαρβάρους πολὺ προέχοντας ταῖς δυνάμεσι καὶ διαβεβαιουμένους ταῖς τῶν πρώτων διαβάντων ἀπολείαις (partic. hoc loco vim passivam exhibet). Non modo scriptores Attici, sed et recentiores medium genus ponunt, quod et apud Diodorum plurimis locis legitur. Demosth. 17,30 διαβεβαιωσαίμην ἄν; Arist. Epist. 99 διαβεβαιοῦμαι (vi activa); Polyb. XII 11,7 διοριζόμενος καὶ διαβεβαιούμενος περὶ τούτων

[1]) cf. Wackernagel 205.

[2]) cf. Blass, Grammtik des neutestamentlichen Griechisch. [4]1913 § 309.

distincte ae his rebus agens; 1 Timoth. 1,7; Tit. 3,8; Diod. I 37,6 οὐδ' ἀκοὴν ἀπεφήναντο παρὰ τῶν ἑωρακέναι διαβεβαιουμένων; I 40,6; XI 17,1 διαβεβαιώσασθαι; XIII 90,5; XVII 37,6; Dion. II 39,2. Ut e locis allatis apparet, activum verbi διαβεβαιοῦν a Diodoro primo usurpatum esse videtur.

II. Verba a Diodoro vi intransitiva, ab Atticis scriptoribus transitiva usurpata.

In Diodori Bibliotheca plura verba leguntur vim intransitivam exhibentia, quamquam priscus sermo elimatus transitive ea usurpat. Si verbum activum notione intransitiva fungitur, cum transitivam exspectemus, idem est, ac si genere activo pro medio positum esset.

ἀνατείνω activ. intransitiva notione *patendi, pertinendi* usurpatum: Diod. II 13,2 πέτρας εἰς ὕψος ἀνατεινούσας ἑπτακαίδεκα σταδίους, III 41, 3 ἡ δὲ πρὸς τὴν μεσόγειον ἀνατείνουσα...; III 45,1 ὄρη... ἀνατείνει; XVIII 27,2 χρυσοῦς ἄκανθος ἀνατείνων ἐκ τοῦ κατ' ὀλίγον μέχρι τῶν κιονοκράνων. In scriptorum Atticorum sermone hoc verbum vim transitivam *(extendere, tollere)* in activo genere exhibet, ut Xenoph. Anab. III 2,9; Cyrop. VII 1,6; Aristoph. Av. 1254; Ps-Plat. Tim. Locr. 102 A. Posteriores iam inde ab Aristotele verbo huic vim neutralem *(se extendere, porrigi, patere)*, dederunt. Aristot. H. A. IV 1 med. ἥ τὸ ἕντερον ἀνατείνει; Polyb. V 3,9 ἡ Κηφαλληνία κεῖται μὲν κατὰ τὸν Κορινθιακὸν κόλπον ὡς εἰς τὸ Σικελικὸν ἀνατείνουσα πέλαγος; XVIII 5,9 λόφοι... ἀνατείνοντες; Arist. Epist. 169 ἀνατείνει πρὸς...; Dio Cass. XXXIX 50; XLVII 35.

Genere quoque medio verbum ἀνατείνομαι, quod idem dicit atque *minari*, Diodorus ponit, ut XIV 3,6 ἀνετείνατο δὲ καὶ τῷ Θηραμένει τὰς μεγίστας ἀπειλάς; XIII 24,1 πάντες δὲ ἀνατείνονται μὲν πρὸς τοὺς ἀντιταττομένους, εἴκουσι δὲ τοῖς ὑποπεπτωκόσιν. Eadem vi sumptum Dionysius verbum ἐπανατείνομαι posuit VI 48,2 πολλὰς καὶ χαλεπὰς ἀπειλὰς ἐπανατειναμένων. Ἀνατείνομαι vi *minandi* intellectum in lingua Attica notum erat, ut Demosth. 19, 153 ἐκεῖνος μὲν οὐδὲν ἂν ὑμῖν εἶχεν ἀνατείνασθαι φοβερόν.

Etiam ἐπιτείνω a Diodoro intransitive usurpatur XIII 100,3 τοῦ χειμῶνος ἐπιτείνοντος *hieme durante;* XVII 117,3 τοῦ πάθους ἐπιτείνοντος *dolore permanente*. Scriptores pedestris sermonis Attici sola vi transitiva hoc verbum usurpant, ut Demosth. 56,3 ἔτι μᾶλλον ἐπέτεινεν οὗτος καὶ μάρτυρας πολλοὺς παραλαβὼν προῆει *etiam magis premebat;* 56,24 ἐκλεγόμενοι τίνων αἱ τιμαὶ ἐπετέταντο. Et in Diodoro hoc intellectu ἐπιτείνω occurrit, ut XVI 65,4 ὡς δ' οὐχ ὑπήκουεν, ἀλλ' ἀεὶ καὶ μᾶλλον ἐπετείνετο τῇ τόλμῃ. Recentioris aevi scriptores et intransitivam notionem exhibent, ut Polyb. XV 27,1 πρὸς τὸ τὴν ὀργὴν ἐπιτείναι; Plut. Cam. 28 ἐπέτεινεν ὁ λιμὸς *fames invalescebat.*

παρατείνω vi intransitiva *(iuxta aliquid porrigi, praetendi, durare)* legimus apud Diod., ut II 18,4 ἐπὶ πολὺν χρόνον τοῦ κιν-

δόνου παρατείνοντος; XIV 20,1 ἐπὶ σταδίους μὲν εἴκοσι παρατείνουσα. Pedestris sermonis Attici scriptores idonei hoc verbo sola notione transitiva sumpto utuntur, quod etiam apud Diodorum invenitur, ut XII 61,4 παρατεταμένην δ' ἐπὶ μῆκος. Solus Thucydides vi intransitiva activum παρατείνω exhibet, ut IV 8 παρατείνουσα τὸν λιμένα *portui praetenta*. Recentiores persaepe cum Diodori usu congruunt. Cf. Polyb. VI 31, 5 ἐπὶ θάτερα δὲ τῆς ἀγορᾶς παρατείνουσα; Ioseph. B. I. III 516 παρατείνει δὲ τὴν Γεννησὰρ ὁμώνυμος χώρα.

Similem vim verbum παρεκτείνω exhibet: III 39,4 τὸ δὲ μῆκος εἰς ὀγδοήκοντα σταδίους παρεκτείνουσα; V 21,3 παρεκτεινούσης δ' αὐτῆς παρὰ τὴν Εὐρώπην λοξῆς; V 35,2 παρεκτείνει σταδίους ὡς τρισχιλίους; XIII 56,8 τοῦ κινδύνου μέχρι δείλης παρεκτείνοντος; XIX 98,1 τῷ μὲν μήκει παρεκτείνουσα σταδίους. Quod verbum in Attica lingua non occurrit. A posterioribus vi transitiva usurpatur, ut a Polybio I 26,15 ἐπὶ μίαν παρεκτείναντες ναῦν (sc. τὸν στόλον); I 42,9 παρεκτείνοντες τῶν ἔργων τὰς κατασκευάς. Vi quoque transitiva adhibitum apud Diodorum legitur: III 44,1 τῷ μήκει δ' ἐπὶ σταδίους πεντακοσίους παρεκτείνεται; V 36,4 παρεκτείνοντες...τὰ ὀρύγματα; XI 30,6 παρεκτείνειν τὴν φάλαγγα; XI 20,3 ἀπὸ τοῦ ναυτικοῦ παρατειχίσματος...παρεκτείνας.

Καταλείπω *cedere alicui, inferiorem esse*. Diodor. XVIII 4,5 ὁμοίως δὲ καὶ ἐν Ἰλίῳ ταύτης τῆς θεᾶς κατασκευασθῆναι ναὸν ὑπερβολὴν ἑτέρῳ μὴ καταλείποντα. Scriptores Attici (sicut Dionysius et saepe Diodorus) sola vi transitiva hoc verbum usurpant.

μεταλλάττω *mori, de vita decedere*. Iam in pedestri sermone Attico hoc verbum cum accusativo τὸν βίον coniunctum intellectu *moriendi* dictum usurpatur, ut Isocr. Archidam. 17 legimus μετήλλαξε τὸν βίον, aut Euagor. 15. Diodorus accusativum τὸν βίον iam omittit: I 92,1 τοῦ μετηλλαχότος *eius, qui de vita decessit;* I 96,7 τῶν μετηλλαχότων; II 57,5 νόμιμον δ' αὐτοῖς ἐστι ζῆν ἄχρι ἐτῶν ὡρισμένων καὶ τὸν χρόνον τοῦτον ἐκπληρώσαντας ἑκουσίως μεταλλάττειν.

παρακόπτω *delirare, mente alienari* occurrit Diod. V 50,5 παρακόψαντα ῥῖψαι ἑαυτὸν εἴς τι φρέαρ *mente alienatum in puteum se praecipitavisse*. Aristoph. Ach. 517 legitur παρακεκομμένος ἀνήρ *improbus et pravus vir* sensu tralaticio dictus, ut Diod. I 78,3 legimus τῶν δὲ τὸ νόμισμα παρακοπτόντων ἢ μέτρα καὶ σταθμὰ παραποιούντων *eorum qui monetam adulterinam cudunt*. παρακόπτω φρένας saepe idem audit atque Lat. *mentem perverto, delirare facio*, ut Eur. Hipp. 238; Aeschyl. Prom. 582. Iam apud Aristotelem, cuius sermo saepe elementa κοινῆς sive dialecti hellenisticae exhibet, παρακόπτειν vi intransitiva pro medio genere usurpatum legimus. De aud. mir. 31 p. 832 λέγεται δέ τινα ἐν Ἀβύδῳ παρακόψαντα τῇ διανοίᾳ καὶ εἰς τὸ θέατρον ἐρχόμενον ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας θεωρεῖν ὡς ὑποκρινομένων τινῶν καὶ ἐπισημαίνεσθαι. Et posteriores eadem notione forma utuntur activa, ut Plut. Mor. p. 1123 F οὐ κραιπαλῶντες οὐδὲ φαρμακῶντες οἱ ἄνθρωποι καὶ παρακόπτοντες, ἀλλὰ νήφοντες καὶ ὑγιαίνοντες.

Συμφράττω quod in Attico sermone vim transitivam habet, a Diodoro notione intransitiva usurpatur XI 10,1 συμφράξαντες...

εἰσέπεσον *acie conferta;* XI, 8,2 συμφράξαντες...ἠγωνίζοντο; XIX 43,1 συμφράξαντες[1]) καὶ ἐπιπεσόντες...διέφθειραν. Xenoph. Hell. I 1,7 συμφράξαντες δὲ τὰς ναῦς οἱ Πελοποννήσιοι -- ἐμάχοντο; Cyneg. VI 9 παράδρομα συμφράττων; Plat. Tim. 74 E ὀλιγίσταις συνέφραττε σαρξίν; ibid. 74 A τὸ πᾶν δὴ σπέρμα .., συνέφραξεν; Phaedr. 251 E τὰ συμπεφραγμένα *(vi passiva).* Etiam Polyb. vi activa transitiva hoc verbo utitur, ut II 69,9 συμφράξαντες τὰς σαρίσας. Apud Polybium et intransitive legitur ut IV 64,7 συμφράττειν τοῖς ὅπλοις *consertis scutis se tegere.*

ἐξαίρω vi intransitiva Diod. II 50,5 legitur διὰ δὲ τὸ βάρος οὐ δυνάμενον ἐξάραι καὶ πέτεσθαι *se tollere et volare.* In Platonis dialogis verbum hoc vi transitiva dictum legimus: Polit. VI 494 D; Leg. IV 716 A; Protagor. 319 C (med.). Posteriores scriptores eo verbo vi et transitiva et intransitiva utuntur. Transitiva Polyb. III 62,8; III 84,10; Dio Cass. LXXVI 17,2 ἐξαρθείς = ἀναστάς; NT 1 Corinth. 5,13 ἐξάρατε τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν. Intransitive Polyb. II 23,4 ἐξάραντες παντὶ τῷ στρατεύματι *profecti;* LXX Gen. 35,5 ἐξῆρεν Ἰσραὴλ ἐκ Σηκίμων. Locus Diodori supra laudatus cum locis ex Polybio et LXX allatis non congruit, ubi verbo ἐξαίρω accusativus ut παρεμβολήν, στράτευμα supplendus est et eo modo verbum, quod intransitivum esse videtur, re vera transitivum est; ἐξαίρω loco Diodori laudato eis verbis non est adnumerandum, quamquam ex constructione eorum verborum ortum est.

III. Verbi autem genera in his verbis a Diodoro confusa sunt:

γαμέω de muliere dictum legimus II 13,4 γῆμαι μὲν νομίμως οὐκ ἠθέλησεν (sc. Semiramis). Herodian. περὶ σολοικ. in Anecd. Boiss. III 249 docet: γίνεται σολοικισμός, ὅταν τις τῷ πάσχοντι ἐνεργητικὸν ῥῆμα περιάψῃ, οἷον „ἐγάμησεν...". ἕδει γὰρ τὸ παθητικὸν τῇ γυναικὶ περιάψαι. In Nov. Test. nonnullis locis activum et de muliere usurpatur[2]) ut Marc. 10,12 (v. l.); 1 Timoth. 7,28; 7,34; 5,14; Nauck Trag. Gr. fragm.[2] Adespota 194 legimus ἐγάμησεν Ἑλένῃ τὸν θεοῖς στυγούμενον. Eurip. Med. 606 dixit activ. de muliere (τί δρῶσα; μῶν γαμοῦσα καὶ προδοῦσά σε;), sed singulari de causa, quam scholiasta explicat: σεσημείωται τὸ γαμοῦσα· θέλει δὲ εἰπεῖν (Medea), ἆρα τοιοῦτον ἔργον ποιήσασα; οὐ γὰρ ἐφ' ἑαυτῆς ἔλεγε, ἐπεὶ εἶπεν ἂν γαμουμένη, ἀλλὰ τὸν Ἰάσονος λόγον ἐφ' ἑαυτῆς μετέστρεψεν. γαμεῖ μὲν γὰρ ὁ ἀνήρ, γαμεῖται δὲ ἡ γυνή.

μοιχεύω *adulterare.* Scriptores Attici inter activum et medium discrimen faciebant: activo *stuprum viri,* medio *stuprum fe-*

---

[1]) In Teubnerianae editionis apparatu critico C. Th. Fischer editor ⟨ἑαυτοὺς⟩ addit, Diodori XX 24,5 συνέφραξαν ἑαυτούς afferens. At loci supra allati (XI 10,1; XI 8,2) Fischeri coniecturam falsam esse evincunt.

[2]) cf. Blass l. l. § 101.

minae significabatur[1]). Cf. Xenoph. Cyrop. I 2,2; Comment. II 1,5; Demosth. 59,110; Plat. Pol. II, 360 B. Diodorus vero genera confudit et XII 21,1 μοιχευομένην de femina et μοιχεύηται de viro posuit. LXX et Nov. Test. eundem usum exhibent.

IV. Verba a Diodoro genere medio, ab Atticis scriptoribus activo posita:

διασημαίνω *(signum dare, monstrare, ostendere, explicare)* activum ab Atticis usurpatur, ut Xenoph. Anab. II 1,23 ὅ,τι δὲ ποιήσοι, οὐ διεσήμαινε; Oecon. 12,11 πάντως μοι σαφῶς τούτους διασήμηνον. Et Dionysius et Diodorus hunc usum sunt secuti. Diod. XX 8,3 καὶ τὸν τῶν κεκτημένων αὐτὰς διασημαίνουσαι πλοῦτον; Dionys. IV 84,1 διασημαίνουσαι τὸ βουλόμενόν τε καὶ ἐπικελευόμενον; V 29,1 διασημήνας VI 83,1; XI 31,1; XIX 8,2. Unus locus Diod. XIX 15,4 medium exhibet: πάντων δὲ διασημαινομένων τὸ ῥηθέν. Posteriores saepe medium ponunt, ut Aristot. H. A. V 17 διασημαίνονται δὲ τοὺς τόπους οἱ ἁλιεῖς; Strab. XVII p. 792 τῶν γὰρ ἀρχιτεκτόνων τῇ λευκῇ διασημαινομένων τὴν τοῦ περιβόλου γραμμήν.

ἐπινοέω *(cogitare, in animo habere, machinari)* ab Atticis scriptoribus forma activa usurpatur: Thucyd. I 70 οἱ μέν γε νεωτεροποιοὶ καὶ ἐπινοῆσαι ὀξεῖς καὶ ἐπιτελέσαι; V 4; passim; Xenoph. Anab. II 2,11 νῦν δ' ἐπινοοῦμεν πορεύεσθαι; ibid. VI 4,9 ἐπενόει δὲ καὶ τοὺς νεκροὺς θάπτειν; De vectigal. 1,2 σκοποῦντι δή μοι ἃ ἐπενόησα; Plato plurimis locis. — In Diodori Bibliotheca activum et medium promiscue occurrit: I 34,2 ἣν ἐπενόησε; 1,86,4 ἐπενόησαν σύνθημα φορεῖν; II 21,6; III 28,5 μηχανὰς ἐπινοοῦσι; III 58,2; IV 11,7 ἐπινοήσας τι φιλοτέχνημα; V 68,1; V 75,2; XIV 42,2; passim; med. I 14,1 τοῦ δὲ Ὀσίριδος ἐπινοησαμένου...τὴν...κατεργασίαν τῶν καρπῶν; XII 11,4 πολλὰ δὲ καὶ ἴδια ἐπινοησάμενος; XVII 65,4; XVIII 42,3 ἐπενοήσατό τινα... τῶν ἵππων γυμνασίαν, passim. Dionysius I 85,1 ἐπενόει scripsit. Non intellego, cur Reiske medium suspicetur. Et posteriores activum ponere solent, ut Polyb. IX 3,7 πρὸς οὓς οὐδ' ἐπινοήσαντες οἷοί τ' ἦσαν ἀντοφθαλμεῖν; Arist. Epist. 107 σαφῶς δὲ ἐπινοήσαντες; 208 ἐπινοῶν οὖν ἕκαστα; 252; Nov. Test. Luc. 13,15; Math. 26,57; Ioh. 19,16.

εὐπορέω *(est mihi copia, habeo, abunde possum)* ab omnibus Atticis pedestris sermonis scriptoribus active ponitur. Supervacaneum videtur exempla afferre; ne Xenopho quidem et Thucydides, qui saepe ab Attico usu abhorrent, mediam formam usurpant. Dionysius quoque solo utitur activo, ut VIII 12,4 πολλῶν εὐπορήσαντες χρημάτων; XIX 14,2 εὐπορεῖν. Diodorus sui aevi usum secutus activum et medium sine discrimine ponit. Act.: I 92,6; III 17,1; V 19,4; XI 50,3; XII 54,3 passim; med.: I 73,8; IV 80,6; XI 58,1; XIV 5,6; XVI 58,1 passim. — Aristoteles medium posuit Oec. 2,23 συνέβαινεν εὐπορεῖσθαι τοὺς στρατιώτας τῶν ἐπιτηδείων. Iam

[1]) cf. Wackernagel l. l. p. 123.

Polybius genera verbi confudit, ut VI 58,9 εὐπορῆσαι χρημάτων; I 66,5 εὐπορούμενοι χρημάτων legimus. Novum Testamentum sola media exhibet [1]), ut Act. 11,29 καθὼς εὐπορεῖτό τις. Et Lucianus medium pro activo ponit [2]).

μεταπαλέομαι pro activo exhibet Diodorus XVI 10,2 ἐπειρῶντο μεταπαλεῖσθαι τοὺς Συρακοσίους ἀπὸ τῆς ἀποστάσεως. Alibi (XX 43,2) verbum hoc non est deponens: μεταπαλούμενος ὑπὸ τῆς εὐλαβείας. Et Dionysius ubique activum ponit, ut VI 15,2 τὴν ἀπεσταλμένην μεταπαλεῖν; VI 45,3 τῶν ὑπάτων μεταπαλούντων αὐτούς; XIX 8,1; XIX 14,4. Verbum hoc apud scriptores Atticos raro legitur. Apud Xenophontem, Isocratem, Demosthenem non occurrit. Invenitur Thucyd. VIII 11; Aristoph. Pl. 1182; Aeschin. p. 49,30 μεταπαλεῖ τὴν ψυχὴν ἀπὸ τῆς ὀργῆς ὁ κίνδυνος ἐπὶ τοὺς ὑπὲρ τῆς σωτηρίας λόγους; Novum Testamentum medium exhibet, ut Act. 7,14; 10,32; passim.

περιβλέπομαι vi *intuendi, circumspiciendi* adhibitum legitur Diod. XVI 32,2 οἱ δ' ἀσεβεῖς... ἐφρόνουν τὰ ἐναντία καὶ περιεβλέποντο (περιέβλεπον c. Scaliger et Vossius) ζητοῦντες τὸν.... Attici activo gene utebantur Cf. Xenoph. Cyrop. V 1,4 πάσας περιεβλέψαμεν; Ps.-Plat. Eryx. 395 C περιβλέψας δὲ πρὸς τοὺς παρόντας; Polybius quoque activum exhibet V 20,5 τόπον εὐφυῆ περιέβλεψαν. Recentiores saepius medium ponere solebant. Polyb. IX 17,6 περιεβλέπετο τὸν ποιμένα; LXX Reg. I 20,44; Nov. Test. Marc. 3,5;ibid. 9,8 περιβλεψάμενον οὐκέτι οὐδένα εἶδον; Luc. 6,10 [3]). Plut. Cat. Min. 27 τὸν Κάτωνα περιβλεψάμενον εἰπεῖν; Epictet. Diss. III 14,3 σκώφθητί ποτε, περίβλεψαι.

εἰσθέομαι Diod. XIV 62,2 μετὰ δὲ ταῦτα αἱ φορτηγοὶ ναῦς εἰσθεόμεναι ὑπὲρ τρισχιλίας... *in portum appellentes.* Nullus praeter hunc locus invenitur, quo verbum εἰσθέω *(curro intro)* genere medio legatur, quamquam verbum hoc non tam raro occurrit. Cf. Aristoph. Av. 1169 ἀλλ' ὅδε φύλαξ γὰρ τῶν ἐκεῖθεν ἄγγελος εἰσθεῖ πρὸς ἡμᾶς δεῦρο; Dio Cass. LXII 16 οἱ ἐκ τῶν ὁδῶν εἴσω ἐσέθεον, Locus igitur corruptus esse videtur et multi iam docti ei mederi conati sunt.

ἐκτίθεμαι notione *explanandi, disserendi* usurpatum legimus Diod. I 42,2 τὰς κατὰ μέρος αὐτῶν πράξεις ἐκθησόμεθα; I 56,6 τὸ ἀληθὲς ἐκθέσθαι...οὐ ῥᾴδιον; I 69,7; I 77,1; XII 58,2 ἀναγκαῖόν ἐστι ἐκθέσθαι ταῦτα. Verbum hoc in Attica oratione tantum modo sensu proprio et vero usurpatur neque in medio occurrit. Isocr. Antid. 237 ἐν γὰρ ταῖς σανίσι ταῖς ὑπὸ τῶν ἀρχόντων ἐκτιθεμέναις; Demosth. 24,25; 25,50; passim. Seriores saepe hoc verbo vi tralata eaque forma media uti coeperunt. Arist. Epist. 153 σαφῶς

---

[1]) cf. Blass. l. l. § 101.

[2]) cf. W. Schmid, Der Atticismus I 239

[3]) cf. Blass § 101

ἐκτίθεται; 1 σαφῶς ἐκθέσθαι; Polyb. IV 24,9 καλὸν δεῖγμα ἐκτιθέμενος[1]); ibd. XXIV 10,14 ἐκθέσθαι ἀπόκρισιν; passim; Nov. Test. Act. 11,4 ἀρξάμενος δὲ Πέτρος ἐξετίθετοαὐ τοις καθεξῆς λέγων; ibd. 28,23; 18,26.

V. Verba sequentia in Diodori Bibliotheca primum leguntur:

λυτρόομαι *redimere, pretio liberare* Diod. V 17,3 λυτροῦνται *redimunt*; I 84,3 λυτρούμενοι *redimentes*. Scriptores Attici hoc verbum genere activo ponunt, ut Demosth. 19,170 ἐκ τῶν ἰδίων λελυτρῶσθαι *redimi* Plat. Theaet. 165 E συνδήσας ἤδη ἂν τότε ἐλύτρου χρημάτων...; Aristot. Eth. IX 2 οἷον τῷ λυτρωθέντι παρὰ λῃστῶν. Apud Diodorum quoque activum occurrit XIX 73,10 οὓς μὲν ἐλύτρωσεν, οὓς δὲ...διένειμεν. Apud posterioris aevi scriptores media forma occurrit ut Nov. Test. Luc. 24,21 λυτροῦσθαι τὸν Ἰσραήλ; Tit. 2,14 ἵνα λυτρώσηται ἡμᾶς.

μνηστεύομαι vi *virginem petendi*, vel *uxorem ducendi* dicitur Diod. IV 73,3 πολλῶν μνηστευομένων τὴν κόρην; XIV 44,8 ἐμνηστεύσατο...Ἀριστομάχην. Apud scriptores Atticos active hoc verbum adhibetur, ut Xenoph. Hell. VI 4,37 ἐμνήστευε τὴν Ἰάσονος; Isocr. Hel. 20 μνηστεῦσαι κόρην; ibd. 39; Plat. Leg. VI p. 773 B τὸν γὰρ τῇ πόλει συμφέροντα μνηστεύειν γάμον ἕκαστον. Et apud Diodorum activum legitur IV 54,2 μνηστεῦσαι τὴν παρθένον (D μνηστεύσασθαι); IV 31,1 ἐμνήστευσεν Ἰόλην; IV 37,4 τὴν θυγατέρα ἐμνήστευεν Ἀστυδάμειαν; XIV 44,6; passim. Recentiores scriptores saepe medium ponunt, ut Plut. Mor. 774 E.

συγγράφομαι (*scribere, conscribere, componere librum*) invenitur Diod. XV 76,4 ὁ τὰς ἱστορίας συγγραψάμενος. Attica dicendie consuetudo verbo hoc active utitur notione *conscribendi* vel *componendi librum*. Thucyd. I 1 Θουκυδίδης Ἀθηναῖος συνέγραψε τὸν πόλεμον; II 70; VIII 67 τούτους δὲ συγγράψαντας γνώμην ἐσενεγκεῖν ἐς τὸν δῆμον; Xenoph. Re equestr. 1,1 συνέγραψε μὲν οὖν καὶ Σίμων περὶ ἱππικῆς; Isocr. Trapezit. 20 ταῦτα δὲ συγγράψαντες; ibd. 52 πρὸς τὴν πόλιν συγγράψας ἐπιστολήν; Euag. 8 περὶ δὲ τῶν τοιούτων οὐδεὶς πώποτ' αὐτῶν συγγράφειν ἐπεχείρησεν; Demosth. 19,316 συνέγραψε δ' ἐπιστολὴν ὡς ὑμᾶς; Plat. Phaedr. 258 B ἐὰν δὲ ἐξαλειφθῇ καὶ ἄμοιρος γένηται λογογραφίας τε καὶ τοῦ ἄξιος εἶναι συγγράφειν, πενθεῖ...; Phaedr. 258 C οἴει τινὰ οὖν τῶν τοιούτων... ὀνειδίζειν αὐτὸ τοῦτο, ὅτι συγγράφει *an igitur censes talium quempiam studium eius hoc scribendi vituperaturum?* Symp. 177 B εἰ δὲ βούλει αὖ σκέψασθαι τοὺς χρηστοὺς σοφιστάς, Ἡρακλέους μὲν καὶ ἄλλων ἐπαίνους καταλογάδην συγγράφειν; Lys. 205 A; Gorg. 518 B. — Diodorus quoque multis locis activum ponit: XVI 7,1 τοῦ τὰς ἱστορίας συγγράψαντος; XIX 100,2 τὸν τὰς ἱστορίας συγγράψαντα. Huius verbi etiam medium apud Atticos scriptores legitur, sed alium ibi intellectum habet, idem enim

[1]) ἐκτιθέμενος mss.; Hultsch ex coniect. Dindorfii ἐκτεθειμένος.

audit atque *scripto sibi cavere, stipulari, pacisci. orationes iudiciis accommodatas scribere, rogationem ad populum concipere.* Thucyd. V 41 ξυνεγράψαντο *scripto sibi caverunt;* Isocr. Paneg. 177 οὕτω συγγράφεσθαι περὶ αὐτῶν *ita ea pacisci;* Panathen. 158 εἰρήνην εἰς ἅπαντα συνεγράψαντο τὸν χρόνον *pacem fecerunt;* Demosth. 19,176 ἐγὼ συγγραψάμενος καὶ καταστήσας ἐμαυτὸν ὑπεύθυνον μαρτυρήσω; 56,32 διὰ τί ἡμῖν οὐκ ἀποδίδως τὰ χρήματα, ἃ συνεγράψω; 56,10; Plat. Euthyd. 272 A ἄλλον διδάξαι λέγειν τε καὶ συγγράφεσθαι λόγους, οἵους εἰς τὰ δικαστήρια *(orationes iudiciis accommodatas scribere);* Gorg. 451 B ὥσπερ οἱ ἐν τῷ δήμῳ συγγραφόμενοι *(rogationem ad populum concipere).* Posteriores saepe ita ut Diodorus medio genere vi *librum componendi* utuntur, ut Plut. Arat. 1 τὸν Ἀράτου...βίον... συγγράψαμενος. Iidem activum quoque designans *librum componere* usurpant, ut Polyb. III 6,1 ἔνιοι δὲ τῶν συγγεγραφότων τὰς κατ' Ἀννίβαν πράξεις; Lucian. De hist. scr. 17 οὔτε τὰς πράξεις καὶ φιλόσοφοι ἤδη συγγράφειν ἀξιοῦσιν.

τεχνάζομαι *dolose, callide agere, callido artificio uti.* Diod. XI 84,4 τεχνάζεταί τι τοιοῦτον; XV 18,3 τεχνάζονταί τι τοιοῦτο. Scriptores Attici activo utuntur, ut Xenoph. Anab. VII 6,16 τεχνάζειν; Memor. 11,7 οὐχ ὁρᾷς ὅτι.... τοὺς λαγῶς θηρῶντες πολλὰ τεχνάζουσιν; Demosth. 57,60 τεχνάζει; 47,63 ταυτα δ' ἔλεγε τεχνάζων τοῦ χρόνου ἐγγενέσθαι; 40,54 ἐάν τι τοιοῦτον τεχνάζῃ; Plat. Hip. min. 371 D; Leg. IX 879 A τὸν τεχνάζοντα; XI 921 B τεχνάζοντα. Scriptores aevi recentioris mediam formam ponere solent. Plut. Caes. c. 43 init. ἀνεβόησαν μὴ περιμένειν ἀλλὰ μᾶλλον ὅπως τάχιστα συνίασιν ... τεχνάζεσθαι καὶ στρατηγεῖν; Lucian. Alex. c. 41 τοιόνδε τι ἐτεχνάσατο; Dio Cass. XLII 42 εἰ τεχνάζοιτο τι; LIV 21 τοιόνδε τι τεχνασάμενος.

ὑποπτεύομαι *suspicere, suspicari.* Diod. IV 31,1 διὰ τὴν περὶ τὰ τέκνα συμφορὰν ὑποπτευσάμενος τὴν ἐξ ἐκείνης παιδοποιίαν; XV 80,3 πολλῶν δὲ τὸ γεγονὸς ὑποπτευσαμένων. Quamquam verbum ὑποπτεύειν in lingua Attica creberrimum est, nullo loco medio genere usurpatum inveni. Et apud posteriores scriptores medium non legi. Diodorus quoque saepe activa forma utitur, ut IV 31,3 τὸ γεγονὸς ὑποπτεύσαντος; IV 46,2 ὑποπτεύσαντα τὴν... ἐπιβουλήν; XI 39,2 ὑπώπτευσαν... τὴν αὔξησιν; XI 65,3; XV 5,3; XV 82,6 ὑποπτεύσας τὴν ἀγχίνοιαν; passim.

VI. Verba, quae a Dionysio active ponuntur, a scriptoribus Atticis medio genere usurpantur.

ἀνακλαίω *defleo.* Dion. III 21,6 ἀνακλαίεις μόρον. Attici scriptores medium ponunt, ut Antiphont. II 4,1 τὰς ἀτυχίας ἀνακλαύσασθαι; Sophocl. Phil. 939 ὑμὶν τάδε...ἀνακλαίομαι; et seriores saepe med. usurpant ut Epigr. Anth. Pal. IX 362,27 μαψιδίως ὠδῖνας ἀνεκλαύσαντο γυναῖκες; Ioseph. Antiqu. II 6,4; VIII 13,3. Saepius apud Dionysium formam mediam legimus: II 67,4; III 21,5; V 8,6; VII 67,2 passim.

ψηφίζω pro ψηφίζομαι *(suffragia ferre suffragiis decernere)* duobus locis Dion. Antiqu. legitur: VI 66,3 ὅστε δήπου νόμον ἡμῖν ὑπάρχοντα... πάντων εἶναι κυρίαν τὴν βουλήν, πλὴν ἀρχὰς ἀποδεῖξαι καὶ νόμους ψηφίσαι καὶ πόλεμον ἐξενεγκεῖν; XI 21,2 ἁπάντων ἐψηφικότων *sententiis omnium latis.* Si in mentem nobis revocaverimus Meisterhansium (³ p. 194 d) docere perf. ἐψήφισμαι temporibus antiquioribus ante annum a. Chr. n. 341 semper vi passiva usurpatum esse, ut ἐψηφίσθαι τῷ δήμῳ vel τὰ ἐψηφισμένα, fortasse intellegemus, cur Dionysius ἐψηφικότων non ἐψηφισμένων scripserit. Ceteris locis, qui longe plurimi sunt, et Dionysius et Diodorus media forma utuntur.

καταψηφίζω *condemnare.* Dion. IV 58,2 κατεψηφικότων; V 8,3 κατεψηφικότες ἑαυτῶν. Scriptores Attici solo medio utuntur, ut Xenoph. Hell. I 7,34; Isocr. Trapez. 56; Demosth., Plato. Et Dionysius plurimis locis medium posuit, ut IV 84,3; VIII 78,4; IX 33,3 passim.

ἀπολιχμάω *lambere.* Dion. I 79,6 legimus κύκαινα δέ τις ... ἀπελίχμα (Cobet c. ἀπελιχμάτο). Hom. Iliad. Φ 123 οἳ σ' ὠτειλὴν αἰμ' ἀπολιχμήσονται ἀκίδες. Idem genus et in Aristoph. Vesp. 1033 legitur ἑκατὸν δὲ κύκλῳ κεφαλαὶ κολάκων ... ἐλιχμῶντο περὶ τὴν κεφαλήν.

παρασπάω *in suam partem trahere, ab altero ad se attrahere.* Dion. III 28,4 ἄποικοι μὲν γὰρ αὐτῶν ὄντες οὐδὲν τῆς τούτων ἀρχῆς παρασπάσαντες, ἰδίαν ... δύναμιν ... ἐκτησάμεθα *cum enim eorum simus coloni, nihil eorum imperio detraximus nobis;* X 31,1 παρασπάσαντές τι τῆς ὑπατικῆς δυναστείας; XI 60,4 συγχωρῆσαι τῷ δήμῳ τὴν βουλὴν παρασπάσαι τι τοῦ κόσμου τῆς πατρίου πολιτείας. Scriptores Attici medium ponunt, ut Xenoph. Hell. IV 8,33 τῶν τ' Αἰολίδων πόλεων παρεσπάτό τινας; Demosth. 1,3 ὡς ἔστι μάλιστα τοῦτο δέος, μὴ ... παρασπάσηταί τι τῶν ὅλων πραγμάτων; Plat. Soph. 241 C ἐάν πῃ καὶ κατὰ βραχὺ παρασπασώμεθα οὕτως ἰσχυροῦ λόγους. In tragicorum sermone activum quoque, sed sensu primario, occurrit: Sophocl. Antig. 792 οὐ καὶ δικαίων ἀδίκας φρένας παρασπᾷς ἐπὶ λώβᾳ; Electr. 632 ὁ ... ἡνιοστρόφος ἔξω παρασπᾷ (sc. τὸ ἅρμα) Oed. Col. 1185. Et Polybius media forma utitur XVIII 51,5 Πτολεμαῖον παρασπασάμενον σφετερίσασθαι τοὺς τόπους τούτους *abstraxit haec loca et sibi vindicavit.* Locis laudatis effici videtur παρασπάω pro medio Dionysium primum posuisse.

στρέφω notione activa transitiva et στρέφομαι notione passiva intransitiva sumptum persaepe in Attico sermone pedestri occurrit, quod et apud Diodorum et Dionysium legimus. Dionysius praeterea raro activum intransitiva notione *vergendi* dictum usurpat: I 79,11 τῆς πρὸς τὸν ἱππόδρομον στρεφούσης λαγόνος *vergentis ad....* Participium *vergens* in pedestri sermone Attico redditur participio ἑστραμμένος, quod etiam Diodorus (I 41,7. II 35,1) et Dionysius (II 5,4. X 46,4) exhibet. Στρέφω pro στρέφομαι recens est, si Polybius quoque ἑστραμμένος et στραφείς ponit. Iam in Nov. Test. raro activum intransitive occurrit, ut Act. 7,42 ἔστρεψεν δὲ ὁ θεός *Deus se convertit.* Ex Atticis scriptoribus solus Xenophon activum

vi intransitiva sumptum exhibet: Anab. IV 3,32 οἱ δ' Ἕλληνες τἀναντία στρέψαντες ἔφευγον; ibd. IV 3,26 Ξενοφῶν δὲ στρέψας πρὸς τοὺς Καρχηδονίους.

ἐπισημαίνω *apparere; laudare, probare.* Dionys. I 86,3 γῦπες ἐπισημαίνουσι *apparent*; I 87,1 ὅτῳ ἂν προτέρῳ κρείττους ὄρνιθες ἐπισημήνωσι; VIII 9,1 μεγάλῃ βοῇ πάντες ἐπεσήμηναν *approbaverunt* (Reiske con. med.); VIII 72,4 ἐπισημήναντος δὲ τοῦ πλήθους (Cobet coni. med.) Diod. XVIII 8,5 κηρυχθέντων δὲ τούτων μεγάλῳ κρότῳ ἐπεσήμηνε τὸ πλῆθος. Verbum ἐπισημαίνω intransitive notione *apparendi* inde ab Aristotele, qui — ut ita dicam — praecursor est τῆς κοινῆς, occurrit: Aristot. H. A. V 14 τοῖς ἀνθρώποις ἐπισημαίνει κατά τε τὴν τῆς φωνῆς μεταβολὴν καὶ τῶν αἰδοίων οὐ μόνων μεγέθει, ἀλλὰ καὶ εἴδει; ibd. VII 3 ἐπισημαίνει τὸ πρῶτον μικρὸν τὸ γάλα ἐν τοῖς μαστοῖς; Meteorol. II 8 ἐπὶ δύο ἔτη ἐπισημαίνει (sc. ὁ σεισμὸς) κατὰ τοὺς αὐτοὺς τόπους. E vetustioribus solus Thucydides verbum ἐπισημαίνω notione intransitiva scriptum exhibet, II 49 καὶ εἴ τις ἐκ τῶν μεγίστων περιγένοιτο, τῶν γε ἀκρωτηρίων ἀντίληψις αὐτοῦ ἐπεσήμαινε. In lingua Attica ἐπισημαίνω idem dicit atque *significo, respondeo*, ut Xenoph. Hell. IV 7,2 ὁ δὲ θεὸς ἐπεσήμαινεν αὐτῷ ὅσιον εἶναι. Simile exhibet Diod. XIX 103,5 ταχὺ τὸ δαιμόνιον αὐτοῖς ἐπεσήμαινεν. Scriptores Attici solum medium usurpant notione *laudandi* vel *probandi*. Isocr. Panath. 2 τῶν ... ἰδεῶν ... τοὺς ἀκούοντας ἐπισημαίνεσθαι καὶ θορυβεῖν ἀναγκαζουσῶν; Demosth. 18,250 ἐν οἷς δὲ τὰς εὐθύνας ἐπεσημαίνεσθε ... προσωμολογεῖτε; Diodorus notione *probandi* activum et medium promiscue ponit. Nam praeter locos supra laudatos et media multis locis hac vi accepta occurrunt; cf. Diod. XI 26,6 ἐφ' ἑκάστῳ δὲ τῶν λεγομένων ἐπισημαινομένων τῶν ὄχλων; XIII 28,5; XV 78,3 ἐπισημαινομένων τὰς ἑκατέρωθεν ἀνδραγαθίας; XVII 106,5; XIX 23,1 ἐπεσημαίνετο τὸ πλῆθος τὴν τοῦ Πευκέστου προθυμίαν; XIX 25,7. Polybius medium ponit hac vi, ut IX 9,9. X 38,3. X 2,4 passim.

In βουλεύω verbo Dionysius genera verbi confudit: βουλεύω pro βουλεύμαι in Antiqu. Rom. passim legimus, ut IV 29,7 ἀσφαλῶς ἤδη τὰ λοιπὰ βουλεύσομεν *deliberabimus* vel *consilia conferemus*; VI 7,21 ἵνα περὶ τούτων βουλεύσειεν *ut deliberaret*. Alibi vero βουλεύειν vim verbi *statuere, suadere, consilium dare* exhibet, ut I 58,4 δεῖ ὑμᾶς μηδὲν ἐναντίον βουλεῦσαι περὶ ἡμῶν *statuere in nos*; II 56,4 βουλεῦσαι τὸν φόνον; III 8,2; III 11,5 ἄρχει καὶ βουλεύει *regit et rei publicae consulit*; IV 4,7 τοὺς βουλεύσαντας *eos qui suadebant*. Medium autem ponit notione *deliberandi* vel *consilia conferendi* ut II 36,4; III 7,3; V 41,4 plurimis locis. Scriptores Attici inter notionem activam et mediam accurate distinguunt. Xenoph. Memor. I 1,17 scribit βουλεύσας γάρ ποτε καὶ τὸν βουλευτικὸν ὅρκον ὀμόσας *cum* βουλευτὴς *esset*, ut docet Thomas Magister βουλεύειν ἀντὶ τοῦ βουλευτής εἰμι; idem Hell. I 131, λέγειν τι δοκῶν καὶ βουλεύειν τὰ κράτιστα *dicere et suadere optima;* Cyrop. II 4,15 ταῦτα βουλεύοντας; Anab. II 5,16 εἴ τι ἐμοὶ κακὸν βουλεύοις; Ps.-Xenoph. Ath. Pol. 1,6 εἴποι δ' ἄν τις ὡς ἔχρῆν αὐτοὺς μὴ ἐᾶν λέγειν πάντας ἐξῆς μηδὲ βου-

λεύειν; Isocr. Zeug. 43 βεβουλευκὼς δ' ἐπὶ τῶν τριάκοντα τολμᾷς; Demosth. 21,111 βουλεύειν quod idem valet atque „βουλευτής" *esse;* 22,40; 22,36 βεβούλευκε *decrevit*; 25,5 ἐὰν... ἡ βουλὴ δοκῇ βουλεῦσαι. Solum medium vim exhibet *deliberandi* vel *consilium capiendi.*

προβουλεύω de senatus consultis Atheniensium βουλῆς et Lacedaemoniorum γερουσίας active usurpabatur Thucyd. VIII 1 ἀρχήν τινα πρεσβυτέρων ἀνδρῶν ἑλέσθαι, οἵτινες περὶ τῶν παρόντων... προβουλεύσουσι; III 8,2; Xenoph. Hell. I 7,7 τὴν δὲ βουλὴν προβουλεύσασαν εἰσενεγκεῖν...; Demosth. 20,4 ἀρ' οὖν θησόμεθα νόμον διὰ ταῦτα μηδὲ τὸ λοιπὸν ἐξεῖναι τῇ βουλῇ μηδὲ τῷ δήμῳ μήτε προβουλεύειν μήτε χειροτονεῖν μηδέν; 21, 162 προεβούλευσεν ἡ βουλή; Aristot. Polit. 4,15 ᾧ ἐπιμελὲς ἔσται τοῦ δήμου προβουλεύειν. Dionysius et activum et medium ea notione ponit VII 38,4 ὅτι μὴ προβουλεύσειεν ἡ βουλή; VII 41,2 κἂν μηδὲν ὑμεῖς προβουλεύσητε; VIII 22,3; VIII 78,1; IX 42,3; X 26,5 passim. IX 41,3 προβουλευσαμένης τῆς βουλῆς; VII 41,2 περὶ τούτων ὑμεῖς τοῦ προβουλεύεσθαι κύριοι (Kiessling con. προβουλεῦσαι).

VII. Verba a Dionysio medio genere posita, in Attica autem lingua activo usurpata:

ἀπάγομαι in Attico sermone pedestri medio poni non solet. Plat. Leg. VII 745 A scribit: ἔδειξε δὲ ταῦτα ὁ τῶν Σκυθῶν νόμος οὐκ ἐν ἀριστερᾷ μὲν τόξον ἀπάγων, ἐν δεξιᾷ δὲ οἰστὸν προσαγόμενος *haec ita esse lex Scytharum ostendit: non enim sinistra solum arcum, dextra sagittam tenent.* Quo e loco conspicuum est Platonem medium verbi ἀπάγειν usurpare non solitum esse, si participio medii προσαγόμενος posito ἀπάγων non ἀπαγόμενος dixit. Et re vera ceteris locis Plato solum activum exhibet. Cf. Phaed. 60 A (bis); Gorg. 486 A. — Idem apud alios Atticos scriptores invenitur: Isocr. Antid. 90; Demosth. 39,35; 9,60 passim. Xenoph. saepe activum ponit notione *ducendi secum,* quamquam nonnullis locis et medium occurrit. Quem usum secutus est Diodorus ut XI 25,5 Γέλων δὲ --- τοὺς πολίτας ἀπήγαγεν εἰς τὰς Συρακούσας; XIII 67,1 οὗτοι δὲ ὡς --- τὰς δυνάμεις ἀπάξοντες εἰς Ἰωνίαν --- ἐξέπλευσαν. Dionysius promiscue activo et medio utitur, ut VIII 35,5 ἀπάξω τὴν στρατιὰν ἐκ τῆς χώρας; XI 31,4 ἀπαγαγεῖν; med. XI 31,3 οὐκ --- ταύτην ἀπάξεταί τις; 11,32,4 ἀπάγησθε --- τὴν κόρην; IV 50,4 τὸ τῶν θεραπόντων πλῆθος --- τοῖς στρατιώταις ἐπέτρεψεν ἀπάγεσθαι τήν τ' ἄλλην κτῆσιν τῆς πόλεως ἄγειν καὶ φέρειν.

συνειπάμην *(consentire)* usus et Dionysius V 48,4 αἱ γυναῖκες ἅπασαι συνειπάμεναι; V 51,3 δούλων συχνῶν συνειπαμένων. Apud scriptores Atticos activum συνεῖπον legitur, ut Xenoph. Cyrop. IV 2,46 συνεῖπε δ' αὐτῷ Ὑστάσπης; Isocr. Busir. 46; Epist. 3,3 passim; Demosth. 19,14; 51,1. Vox media est propria linguae Graecae recentioris aevi [1]).

[1]) cf. Kühner-Blass I² § 343 s. v. *ἕπω.

Similiter et ἀπειπάμην Dionysius utitur: XI 62,2 τούτων δὲ τὴν ἐξουσίαν ἀπειπαμένων *cum se magistratu eo abdicassent.* Attici ἀπεῖπον scribunt ut Xenoph. Anab. VII 1,41; Oec. 8,23; Agesil. 11,14; Plat. Leg. VI p. 769 E; Lys. 219 C; ἀπειπάμην recentiores, ut Callim. Dian. 174 ἀπὸ δ' εἴπαο τέθμα Ταύρων; Polybius et ἀπεῖπον (ut II, 52,8 βουλόμενοι ἀπεῖπον αὐτῇ πορεύεσθαι) et ἀπειπάμην (ut VI, 58,11 ἀπειπάμενοι τὴν διαλύτρωσιν τῶν ἀνδρῶν) usurpat.

ἐγκελεύομαι *hortari.* Dion. III 20,3 τῶν Ἀλβανῶν τοῖς σφετέροις ἐγκελευομένων; VI 10,2 τὰ παρακλητικὰ τῆς μάχης αἱ σάλπιγγες ἐνεκελεύσαντο *tubae belli signum cecinerunt.* Apud scriptores Atticos activum solum occurrit ut Xenoph. Hipparch. 2,5 ἐγκελεύων ῥώμην ἂν ἐμβάλλοι τοῖς ἔμπροσθεν; Cyneg. 6,20 ἐγκελεύειν. Posteriores medium exhibent ut Ps.-Plat. Tim. Locr. 104 A ἐγκελευόμεναι (v. l. ἐκκ.) τὰ ποτίφορα ποττὰ ἔργα; Plut. Popl. 19 ἐγκελευσαμένης ταῖς ἄλλαις.

ἐπικελεύομαι *hortari.* Dion. V 24,2 ταῦτ' ἐπικελευσάμενος τοῖς δυσίν; VI 92,4 ἐπικελευόμενος τοῖς φεύγουσι.... θαρρεῖν; IX 39,2 τοῖς ῥαβδούχοις ἄγειν...ἐπεκελεύοντο. Et activa forma in Dion. Antiqu. occurrit, ut VII 17,4; X 41,1. Scriptores Attici (excepto loco Thucyd. IV 28) activa forma utuntur, ut Thucyd. III 82; Xenoph. Cyrop. III 3,41 ὑμεῖς γὰρ ὄπισθεν ὄντες... ἐπικελεύοντες αὐτοῖς ἔτι κρείττους ποιοῖτε; Plat. Phaed. 60 E; 61 A; Eurip. Bacch. 1088; Electr. 1224. Posteriores formam mediam ponunt, ut Plut. Anton. 77 τὸν δεσμὸν ἀνελάμβανεν ἐπικελευομένων τῶν κάτωθεν.

ὀρύττομαι *fodere.* Scriptores Attici activum ponunt, quos et Diodorus et Dionysius secuti sunt. Sed Dionysius paucis locis medium posuit: IV 54,2 τάφρον ὀρυξάμενος; IX 15,4 τάφρους τ' ὀρυξάμενοι; IX 62,5 τάφρον τ' ὠρύξαντο. In eis locutionibus nulla causa erui potest, cur auctor medium posuerit. Recentiores raro quidem, sed hic illic etiam medium exhibent, ut Apoll. Rh. II 1032 βόθρον ὀρύξασθαι περιηγέα; Numen. apud Athen. VII p. 306 A ἔνθεν ὀρύξασθαι θέμεναί τ' εἰς ἄγγος ἀολλεῖς. Medium Ionicum esse videtur, quia apud Herodotum occurrit, ut I 186[1]) τοῖσι λίθοισι, τοὺς ὠρύξατο, οἰκοδόμεε γέφυραν.

πολίζομαι *urbem condere.* Dionysius medio cum accusativo obiecti vel sine obiecto utitur: a) cum accusativo I 30,5 οἱ ἔγγονοι τὴν Ῥώμην ἐπολίσαντο; I 34,1 πολίζονται λόφον; b) sine accus. I 45,1 πολίζονται ἐπὶ λόφῳ τινὶ Λαουΐνιον ὄνομα τῇ πόλει θέμενοι; II 1,3 πρὸς ἑνὶ τῶν ἑπτὰ λόφων πολίζονται. Vox haec Ionica est; in Homero et Herodoto in activo occurrit (Iliad. Θ 453 passim; Hrdt. V 52 passim). Xenophon activum exhibet, ut Anab. VI 6,4 οὗτος πολίζει τὸ

[1]) Semel (Dion. IX 55,4 χάρακας ἐξωρύξαντο *sua castra fossa circumdederunt*) etiam verbum compositum ἐξορύττειν medio genere positum est. Apud scriptores Atticos activum occurrit, ut Xenoph. Oec. 19,4 καὶ γὰρ ἐξορύττοιτο (pass.) ἂν σκαπτόμενα τὰ φυτά; Demosth. 43,69 ταύτας (i. e. ἐλάας) ἐξώρυττον καὶ ἐξεπρέμνιζον; Nov. Test. Galat. 4,15; Marc. 2, 4. Locus s. l. demonstrat Dionysium generis medii rationem saepe diligentissimam habuisse.

χωρίον. Iam Aristoteles vol. I p. 20,12 mediam formam posuit πόλεις ἐπολίσαντο τοῖς ἀνθρώποις αὐτόθι.

φυλάττομαι pro φυλάττω. Dionysius II 16,3 τὴν αὐτὴν ἐφυλάξαντο προαίρεσιν *eandem rationem sunt secuti;* I, 76,4 ἀπόρρητον δὲ καὶ τοῦτο ἐφυλάττετο τὸ ἔγκλημα (ἐφυλάττετο cod. B; ἐφύλαττε corr. Cobet) *hanc iniuriam silentio tectam servabat.* Scriptores idonei Attici sermonis pedestris activum ponunt. Recentiores inde ab Aristotele medium quoque usurpant, ut Aristot. Polit. VII 11 ὥσπερ γὰρ τοῖς ἐπιτιθεμένοις ἐπιμελές ἐστι δι' ὧν τρόπων πλεονεκτήσουσιν, οὕτω τὰ μὲν εὕρηται, τὰ δὲ δεῖ ζητεῖν καὶ φιλοσοφεῖν καὶ τοὺς φυλαττομένους; Aelian. N. A. IV 45 σύννομοι αὐτοῖς οἱ πατέρες αὐτῶν φυλάττονται τὰ βρέφη. Nov. Test. Marc. 10,20 ταῦτα πάντα ἐφυλαξάμην *servabam.*

ἁναρπάζομαι *rapere, corripere, delere.* Dion. III 5,4 ἀμφοτέρας ἁναρπάσασθαι τὰς δυνάμεις (Hertlein in ephemeride Hermes X p. 411; Cobet, Obs. crit. p. 57 coniciunt ἁναρπάσεσθαι); aliis locis (IV 11,4; V 22,3; VII 4,1) futurum medii legitur, quod et in Attica prosa crebrum est [1]). Cetera tempora in activo genere occurrunt, ut Xenoph. Anab. VII 1,15 οἱ στρατιῶται ἁναρπάσαντες τὰ ὅπλα..; Cyneg. 5,16 ἁναρπάζονται (pass.); Demosth. 27,29; 9,47, passim.

ἀπομειλίσσομαι *placare.* Dion. I 38,2 ἀπομειλιττομένους τὴν τοῦ θεοῦ μῆνιν. Apud scriptores veteres verbum compositum non legitur, verbum simplex autem active ponitur, ut Aesch. Suppl. 1030; Eurip. Hel. 1339; Iphig. A. 1325; Apoll. Rh. IV 416. Posteriores iam ἀπομειλίσσεσθαι uti coeperunt. Cf. Ioseph. Antiqu. XIX 366 Κλαύδιον ἀπεμειλίξαντο; B. J. I 221 πρῶτος δ' ἀπεμειλίξατο Κάσσιον.

ἐπιτίθεμαι ὄνομα *nomen dare* Dion. I' 10,2 ταύτην ἐπετίθεντο τὴν ὀνομασίαν. Quae locutio in sermone Attico rara verbum in activo exhibet, ut Plat. Symp. 205 B τὸ τοῦ ὅλου ἐπιτιθέντες ὄνομα; Crat. 424 D ὀνόματα ἐπιθεῖναι; Leg. VII 816 C ἐπιθεὶς ὄνομα. Et Diodorus activum posuit IV 24,3 τὴν... προσηγορίαν ἐπιθείς.

ἐπιτρέπομαι pro ἐπιτρέπω semel legitur Dionys. VI 90,2 δίκας ἃς ἂν ἐπιτρέψωνται ἐκεῖνοι (Kayser c. ἐπιτρέψωσιν). Ceteris locis, qui crebri sunt, activum legitur, ut III 13,4 τούτοις ἔγνω... ἐπιτρέπειν τὸν ἀγῶνα; III 1,5 ταύτην...ἐπέτρεψε...διανείμασθαι. Et Diodorus activo verbi ἐπιτρέπειν utitur ut XIV 75, 2 ᾔδει γὰρ τοὺς Συρακοσίους... οὐκ ἐπιτρέψοντας αὐτῷ. Verbum ἐπιτρέπω creberrimum apud Atticos scriptores semper active usurpabatur. Et posteriores (Polyb., Nov. Test.) activum exhibent.

κρύπτομαι pro κρύπτω Dion. IV 4,6 κρυπτώμεθα τὸν τοῦ βασιλέως θάνατον *celemus regis mortem.* Ceteris locis uterque activum exhibet. Apud scriptores Atticos solum activum usurpatur, ut Isocr. Demon. 17 καὶ γὰρ ἂν παραυτίκα κρύψῃς, ὕστερον ὀφθήσει. Medium legitur perpaucis Sophocl. locis Ai. 245; Trach. 474 πᾶν σοι φράσω τἀληθὲς οὐδὲ κρύψομαι.

[1]) cf. Kühner-Blass I² § 343 s. v. ἁρπάζω.

ναυλογέομαι *in statione esse.* Dion. I 44,1 ἔνθα ὁ στόλος αὐτῷ ἐναυλογεῖτο. Mss. med. exhibent, sed editores recentiores Cobetum secuti ἐναυλόχει ediderunt. Thucyd. VIII 4 ναυλογεῖν scripsit; Hrdt. VII 189 ναυλογέοντες τῆς Εὐβοίης ἐν Χαλκίδι.

τημελέομαι *(curare, curam adhibere)* legitur Dion. IV 67,2 ὁ μὲν πατὴρ περιχυθεὶς τῷ σώματι περιέβαλλε...καὶ ὡς ἀνοίσουσαν ἐκ τοῦ τραύματος ἐτημελεῖτο. Scriptores Attici formam activam exhibent, ut Plat. Leg. XII 953 A ἐπιμελεῖσθαι καὶ τημελεῖν; Eurip. Iphig. T. 311 ἀφρὸν τ' ἀπέψῃ σώματός τ' ἐτημέλει.

ἐγγράφομαι *inscribere* Dion. V 61,3 οἱ δὲ ἐγγραψάμενοι ταῖς συνθήκαις ταῦτα *qui haec in foederibus scripserunt.* Scriptores Attici omnes activo hoc verbum ponunt. Thucyd. VIII 50 τἆλλα σαφῶς ἐγγράφας; Xenoph. Cyrop. VIII 2,17 ἐνέγραψε δὲ πρὸς πάντας; Isocr. Callim. 16 φανήσομαι... εἰς τὸν μετὰ Λυσάνδρου κατάλογον ἐγγράψας; Amart. 2 εἰς δὲ τὸν μετὰ Λυσάνδρου κατάλογον ἐνέγραφον; Demosth. 19,49 ἐγγράφει τοῦτ' εἰς τὸ ψήφισμα; 39,4 ἐγγράφει τουτονὶ μὲν Βοιωτὸν εἰς τοὺς φράτορας; Plat. Pol. VI 501 B καὶ τὸ μὲν ἂν οἶμαι ἐξαλείφοιεν, τὸ δὲ πάλιν ἐγγράφοιεν; Leg. VI 784 D ὁ δὲ ἀναγραφεὶς ἄτιμος ἔστω, μὴ ἑλὼν ἐν δικαστηρίῳ τοὺς ἐγγράψαντας. Posteriores medium ponunt. Galen. VIII p. 698 D ὁ πρῶτος ἐγγραφόμενος τὴν ῥῆσιν; Polyaen. I 24 οἰκέτην πιστὸν ἀποξύρας τὰς τρίχας στίγματα ἐνεγράψατο τῇ κεφαλῇ. Dionysius primus medio usus esse videtur.

VIII. Verba sequentia vi immutata genus quoque mutaverunt:

διαχειρίζομαι *interficere.* Dionys. I 81,6 διαχειρισάμενος; III 26,6; VII 10,2. In lingua Attica solum activum occurrit notione *sub manibus habendi, administrandi, tractanai.* Isocr. Trapez. 2 χρήματα πολλὰ διαχειρίζουσι; Plat. Gorg. 526 B ταύτην τὴν ἀρετὴν... διαχειρίζειν; eadem significatione hoc verbo utuntur Xenophon et Demosthenes. Recentiores inde a Polybio formam mediam mutata significatione usurpant. Polyb. VIII 23,8 Ἀντίοχος δὲ διακεχειρισμένος τὸν Ἀχαιόν; Dio Cass. VII 18,8; Nov. Test. Act. 5,30 ὃν ὑμεῖς διεχειρίσασθε; ibd. 26,21 ὄντα ἐν τῷ ἱερῷ ἐπειρῶντο διαχειρίσασθαι; Plut. Mor. 220 B καὶ μέλλοντος τὸν Πέρσην διαχειρίζεσθαι.

ἐντρίβομαι Dion. VII 45,1 πληγὰς ἐντρίβεται (ἐντρίβει con. Cobet) *plagas infligit.* Scriptores Attici hoc verbo activo utuntur longe alia notione. Posteriores iam medium exhibent, ut Ioseph. Antiqu. XIX 175 τοῖς ἅπασι καὶ μείζω κακὰ ἐντριβόμενος.

ὀρνιθεύομαι *ex alitis volatu augurari* Dion. IV 13,3 ὀρνιθευσάμενος; XIV 2,2. In prosa Attica activum usurpatur notione *aucupandi, aves capiendi,* ut Xenoph. Hell. IV 1,16 ἦν δὲ καὶ τὰ πτηνὰ ἄφθονα τοῖς ὀρνιθεῦσαι δυναμένοις. Recentiore aevo verbum notionem et genus mutavit. Primum in Dion. Antiqu. occurrit. Est etiam apud Ioseph. De Ap. 1,202 μάντεώς τινος ὀρνιθευομένου (l. l. ex Ps.-Hecataeo). Suidas ὀρνιθευόμενον explicat μανθευόμενον δι' ὄρνιθος.

ἀγριαίνω e verbo intransitivo transitivum factum est. In lingua Attica idem valet atque *ferocio, efferor, indignor,* ut Plat. Symp. 173 D σαυτῷ τε καὶ τοῖς ἄλλοις ἀγριαίνεις πλὴν Σωκράτους *indignaris;* Theaet. 151 C μὴ ἀγρίαινε *ne irascaris;* Pol. VI p. 493 B. Et Dionysius hac notione v. ἀγριαίνω usurpat, ut I 79,7 ἡ δὲ λύκαινα οὐ μάλα ἀγριαίνουσα τῶν ἀνθρώπων τῇ προσόδῳ *irata.* Sed plures sunt loci, quibus ἀγριαίνω vim transitivam habet *(efferatum reddo),* ut IX 32,4 ὑπὸ τῶν δημαγωγῶν...ἀνακινούμενοί τε καὶ ἀγριαινόμενοι; IX 48,4 ἥ τε πόλις ὅλη διοιδοῦσα καὶ ἀγριαινομένη διειστήκει; VI 56,5 τὸ γὰρ ἠρεθισμένον ἅπαν...πρὸς μὲν τοὺς ὑπερηφανοῦντας ἀγριαίνεσθαι φιλεῖ. Seriores saepe vim transitivam exhibent, ut Plut. Anton. 58 πραττόμενοι γὰρ ἠγριαίνοντο, πραχθέντες δὲ καὶ δόντες ἡσύχαζον; Dio Cass. 412,59 καὶ οὔτε ὀργή τις αὐτὸν ἠγρίαινε; ibd. 789,54.

IX. Verba, quae ab utroque auctore activo genere ab Atticis vero scriptoribus medio ponuntur.

πειράζω vel πειράω *conari, studere.* Diod. II 58,5 διὰ τούτου πειράζεται τὰ νήπια τῶν βρεφῶν *temptantur liberi;* Dion. X 1,5 ἐπείρασε; X 12,6; XIII 4,3. Usitata est apud scriptores Atticos forma media, quamquam apud Thucydidem et Xenophontem activum quoque occurrit. Thucyd. IV 9 ἥ μάλιστα ἐκείνους προσεδέχετο πειράσειν ἀποβαίνειν; IV 102 ἐπείρασε; I 61 πειράσαντες passim; Xenoph. Hier. 11,11 καὶ τοὺς καλοὺς οὐ πειρᾶν, ἀλλὰ πειρώμενον ὑπ' αὐτῶν..; Memor. I 2,29 Κριτίαν μὲν τοίνυν αἰσθόμενος ἐρῶντα Εὐθυδήμου καὶ πειρῶντα χρῆσθαι καθάπερ οἱ πρὸς ταφροδίσια τῶν σωμάτων ἀπολαύοντες (locus suspectus). In Nov. Test. activum saepe legitur: Act. 9,26 ἐπείραζεν κολλᾶσθαι; 16,7; 24,6 ἐπείρασε βεβηλῶσαι; Matth. 22,36 passim.

Media forma verbi ποιεῖν cum accusativo coniuncta in lingua Attica verbi transitivi vice fungi solet, ut ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι pro ἐπιμελεῖσθαι, θῆραν ποιεῖσθαι pro θηρᾶν, similia. Rarissime activum occurrit, ut Xenoph. Cyrop. III 1,4 κραυγὴν ἐποίουν; Hell. IV 5,2 οἱ φυγάδες... ἐποίησαν... τὴν θυσίαν; Isocr. De pace 87 ταφὰς ποιεῖν; Antid. 252 ἐπανάστασιν ποιήσαντες; Plat. Polit. 298 B σφάλματα ποιοῦντες pro σφάλλοντες. Saepe nullum discrimen inter ποιεῖν et ποιεῖσθαι reperiri posse hi loci ex Aristoph. allati docent: Ach. 51 sq. ἐμοὶ δ' ἐπέτρεψαν οἱ θεοί | σπονδὰς ποιεῖσθαι; ibd. 57 sq. τὸν ἄνδρ' ἐπάγοντες, ὅστις ἡμῖν ἤθελε σπονδὰς ποιῆσαι[1]). Discrimen activi et medii in his locutionibus tam exiguum erat, ut in lingua hellenistica paulatim exstingueretur[2]). Periphrases allatae sunt, ut ita dicam, „rari nantes in gurgite vasto". Longe plurimis locis medium usurpatur. Apud Diodorum haec periphrasis cum activo verbi ποιεῖν crebra est, apud Dionysium raro occurrit. Loci infra allati rem illustrent: Diod. τροπὴν ποιεῖν *in fugam dare* (I 48, 1; XVI 49,5); αὔξησιν

[1]) cf. Gildersleeve, Syntax of the classical Greek I § 147

[2]) cf. Moulton, Einleitung in die Sprache des Neuen Testaments (Deutsche Ausgabe) 1911, 250

τοῦ ποταμοῦ ποιεῖν *augere* (I 39,1); σπονδὰς ποιεῖν (V 62,5; V 73,2; XII 7,1); τὴν ἀφορμὴν ποιῆσαι (V 80,2) [1]); φόνον ποιεῖν [2]) (XI 80,5; XIV 86,1; XV 65,2 [3]); XV 91,5; XVII 25,2; XVIII 32,1; XX 34,6) [4]); συνθήκας ποιεῖν *foedus facere* (XIII 25,2) [5]); κραυγὴν ποιεῖν (XIII 67,1; XIV 29,3; XIV 116,6); βοὴν ποιεῖν (XIII 67,2; XVII 33,4); ἀδίκημα ποιεῖν (XIII 67,5; XIV 26,3; XX 80,4); κατάλυσιν ποιεῖν (XIV 8,4); θυσίας ποιεῖν (XIV 77,5) [6]); στάσιν ποιεῖν (XIX 36,3); παρασκευὰς ποιεῖν (XIX 57,2); θόρυβον ποιεῖν (XIX 84,2). — Apud Dionysium activum perpaucis locis usurpatum est. Praeter locos supra laudatos numerandi sunt hi: δανείσματα ποιεῖν *mutuum facere* (IV 9,7) [7]); μήνυσιν ποιεῖν *iudicium deferre* (V 54,1; Kiessling con. med.); τὴν αἵρεσιν ποιεῖν (II 57,4). In lingua hellenistica formae mediae vis non ab omnibus intellegebatur et huius medii usus in dies magis minuebatur. Christi temporibus creber iam est usus activi ποιεῖν cum accusativo coniunctus, id quod in Diodori Bibliotheca videmus [8]).

X. Verba, quae vi intransitiva pro transitiva usurpantur:

διαλλάττω *differo, discrepo.* Diod. I 88,6 βραχὺ γὰρ διαλλάττοντας αὐτοὺς ταῖς φύσεσι; I 35,3 τῷ μεγέθει τῶν ἄλλων διαλλάττοντες; I 64,8; III 34,8; II 58,1; V 21,6; XVII 75,3 passim; Dion. I 89,4 διαλλάσσει φύσις Ἑλλὰς βαρβάρου; IV 61,4; VI 83,2 passim. Scriptores Attici sola vi transitiva hoc verbum ponunt. Vi intransitiva notione *discrepandi* Herodoto excepto (ut VII 70 διαλλάσσοντες εἶδος οὐδὲν τοῖς ἑτέροις) apud Thucydidem legitur III 10 ἐν γὰρ τῷ διαλλάσσοντι τῆς γνώμης καὶ αἱ διαφοραὶ τῶν ἔργων καθίστανται. Iam Aristoteles notione *discrepandi* hoc verbo utitur, ut Eth. 10 διαλλάσσουσι δὲ οὐ μικρόν; Polyb. II 37,11 τούτῳ μόνον διαλλάττειν... τὴν σύμπασαν Πελοπόννησον.

συγκαθίημι verbum in lingua Attica raro usurpatum vim transitivam exhibet, ut Eurip. Hel. 1068 συγκαθήσω κόσμον ἐν ταὐτῷ σκάφει; Plat. Theaet. 174 A αὐτὴν συγκαθιεῖσα. Iam in Platone hoc verbum vi intransitiva occurrit: Theaet. 168 B ἴλεῳ τῇ διανοίᾳ συγκαθείς; Protag. 336 A τούτου δέου συγκαθεῖναι *hunc roga, ut se ad*

---

[1]) Dindorf. c. ποιεῖσθαι, Bekker ποιήσασθαι

[2]) Dion. III 42,3

[3]) mss. med., Dindorf. c. activ.

[4]) XVII 19,6 πολὺν ἐποιεῖτο φόνον (F. act.); XVIII 17,4 πολὺν ἐποιοῦντο φόνον (mss. med., Dindorf. act.)

[5]) Dion. VI, 49,1 συμμαχίαν ποιεῖν

[6]) Dion. III 22,7; med. Dion. I 55,2; II 34,1

[7]) II 10,2 exhibet δανείσματα ποιεῖν pro mutuum dare, ut et Attici scribere soliti sunt.

[8]) cf. Moulton p. 250; Blass § 310; Hatzidakis, Einleitung in d. neugr. Grammatik p. 197

me demittat. — Et Dionysius et Diodorus hoc verbo neutraliter usurpant. Dionys. IV 43,3 οἱ συγκαθιέντες εἰς ὁμιλίαν τοῖς πέλας *se aliorum colloquiis immiscentes* (Sylburgius iniuste suspicatur συγκατιόντες vel saltem συγκαθιέντες σφᾶς); VI 56,5 εἰς ἐπιεικεστέρας συγκαθήσουσιν αἱρέσεις *ad aequiores condiciones descendent.* Diod. XX 51,2 οἱ μὲν ἐπὶ τῶν καταστρωμάτων συγκαθῆκαν, οἱ δ' ἑρέται... ἐκθυμότερον ἐνέκειντο (Reiske explicat: *subauditur* ἑαυτούς). — Recentioris aevi scriptores saepe vi intransitiva hoc verbum usurpant, ut Polyb. VIII 26,3 ἄλλοι μὲν συγκαθέντες εἴς τινα τόπον ὁλιγῶν παρὰ τὴν ὁδὸν ἔμειναν *se abscondentes;* Dio Cass. LX 8,2; LXI 20,4; LXXI 25,1.

συνάπτω notione intransitiva aetate classica quae vocatur in sola poesi occurrit, ut Aeschyl. Pers. 859; Eurip. Her. 429; Hippol. 188. (Non adnumerandus est hic locus Ps.-Plat. Epin. VIII, 353 D συνάπτει δὲ ἀεὶ παλαιὰ τελευτὴ δοκοῦσα ἀρχῇ φυομένῃ νέᾳ, quia, quo tempore hic libellus scriptus sit, nescimus). Scriptores prosae Atticae sola vi transitiva verbo συνάπτω utuntur, ut Thucyd. VI 13 ξυνῆψαν πρὸς Σελινουντίους...πόλεμον; Xenoph. Memor. II 6,22 ἡ φιλία... συνάπτει τοὺς καλούς τε καὶ ἀγαθούς; Agesil. 1,31 καιρὸν ἡγήσατο μάχην συνάψαι; Demosth. 25,33 τίς ἂν...αὐτὸν...ταύτῃ...συνάψειε; Plat. Euthyd. 298 C συνάπτει αὐτὰ εἰς ἓν τρία ὄντα. — Iam Aristoteles, cuius linguam multa iam κοινῆς elementa exhibere monuimus, activum neutraliter usurpat, ut H. A. II 17 init. ᾗ συνάπτει τὰ βράγχια ἀλλήλοις; ibid. πόροι συνάπτοντες εἰς ἓν *coeuntes in unum;* Theophr. H. P. IV 8,6 ὃ οὐ συνάπτει τῇ γῇ *quod non haeret in terra.* Et Polybius eos sequitur II 2,8 συνάψαντος δὲ τοῦ χρόνου *cum tempus adesset;* III 67,9 τούτῳ (i. e. ποταμῷ) συνάπτοντας γεωλόφους *pertinentes ad fluvium;* Plut. Tim 25 extr. ἦγε πρὸς τὸν Κρίμησον ποταμόν, ὅπου καὶ τοὺς Καρχηδονίους ἤκουσε συνάπτειν.

Nil mirum in Diodori Bibliotheca et Dionysi Antiqu. idem inveniri. Uterque multis locis activum vi intransitiva ponit ut Diod. I 41,7 τοῖς ὅροις... τοῖς.. συνάπτουσιν finibus finitimis; III 22,1 ἡ... παράλιος συνάπτει μὲν ἡμέρᾳ καὶ καταφύτῳ χώρᾳ; XIII 44,6 τὸν συνάπτοντα χειμῶνα *sequentem hiemem;* XX 102,2 τὸ μὲν τῷ λιμένι συνάπτον μέρος passim; Dionys. II 15,4 κατ' ἀμφοτέρας τὰς συναπτούσας τοῖς λόφοις λαγόνας; III 44,2 τῇ θαλάττῃ συνάπτων; III 44,2; III 68,3; IV 63,1 τῆς συναπτούσης αὐτῷ θαλάττης; V 37,4; XIV 11,2 passim. Et transitiva vi, ut in Attica prosa, apud Diodorum et Dionysium hoc verbum legimus, ut Diod. III 71,4; Dion. II 53,3; V 38,1.

ἐνσείω *impetum facio.* Diod. XIV 60,3 εἰς τὰς τῶν πολεμίων ναῦς ἐνέσειον; XIV 72,5 αἱ... ναῦς... ἐνέσειον μόγις; Dion. V 39,2 ἐνσείει πλαγίοις τοῖς ἱππεῦσι; IX 16,6 ἐνσείει τοῖς πολεμίοις; IX 26,4; IX 57,7. — Attici pedestri scribentes sermone hoc verbum nesciunt. Legitur in Sophocle, sed vi transitiva. Cf. Soph. El. 737 ὀξὺν δι' ὤτων κέλαδον ἐνσείσας | ἵπποις πώλοις διώκει; Trach. 1087 ὦ Διὸς ἀκτίς, παῖσον, | ἔνσεισον...βέλος. Intransitive apud recentiores occurrit, ut Plut Alex. c. 9; c. 60; Cleom. c. 6.

XI. Verbi genera ab utroque auctore confusa sunt his verbis:

J. Wackernagel, Vorles. p. 123 docet verbum *occupare, capere* activo verbi καταλαμβάνειν Attice exprimi. Et re vera auctorum Atticorum scripta id comprobant. Thucyd. I 126 κατέλαβε τὴν ἀκρόπολιν; Plat. Tim. 38 D ὅθεν καταλαμβάνουσί τε καὶ καταλαμβάνονται κατὰ ταὐτὰ ὑπ' ἀλλήλων ἥλιός τε...; Pol. VIII 560 B τελευτῶσαι δὴ οἶμαι κατέλαβον τὴν...ἀκρόπολιν; Theaet. 165 B; 172 B; Leg. IX 873 A εἰ δέ τινας οὕτως ἀθλία συμφορὰ καταλάβοι; Phaedr. 250 D δεῦρό τ' ἐλθόντες κατειλήφαμεν αὐτὸ διὰ τῆς ἐναργεστάτης αἰσθήσεως τῶν ἡμετέρων στίλβον ἐναργέστατα; Phil. 16 D; Conv. 174 D ἀνεῳγμένην καταλαμβάνειν τὴν θύραν; Phaed. 59 E; Xenoph. Cyrop. II 4,22 ἴθι... καὶ κατάλαβε τὰ ὄρη; ibid. V 3,17 καταλαμβάνει τὸ χωρίον; De vect. 5,9 τὸ ἱερὸν καταλαμβάνειν ἐπειρῶντο; Hell. II 4,2 χωρίον καταλαμβάνει ἰσχυρόν; Isocr. Paneg. 144 'Αταρνέα καταλαβών; passim. — Posteriores saepe utrumque verbi genus ea notione ponunt, ut Polyb. III 104,3 ἐπεβάλετο καταλαβεῖν ταύτην; III 104,5 κατελάμβανε τὸν λόφον; I 19,5 καταλαβόμενοι τὸν λόφον; I 30,7 καταλαβόμενοι λόφον. — Dionysius et Diodorus activum et medium eadem vi usurpant, sed multo saepius medium ponunt. Diod. XII 72,2 'Αντανδρον κατέλαβον (Vogel con. κατελάβοντο); XIII 57,1 τῆς πόλεως καταλαμβανομένης (pass. vi); XIII 88,1 τούς τ'ἐν ταῖς προνομαῖς αὐτῶν κατελάμβανον; XIV 91,2 καταλαμβάνειν τὰ τείχη; med. permultis locis legitur, ut I 56,3; II 6,8; IV 45,5; V 15,2 passim. Dionys. X 47,1 ἀνθρώπους ὅσους ἐν τῷ χάρακι κατέλαβε; I 24,2 στάσις αὐτοὺς καταλαμβάνει; med. I 91,1 πολίσματα... κατελάβοντο; III 28,9 προκαταλαμβάνονται τὰ ὄρη; VI 91,2 passim. In Nov. Testamento activum *occupare,* medium *intellegere, sentire* significat [1]), ut activ. 1 Corinth. 9,24; 1 Thess. 5,4; med. Act. 25,25; 10,34.

πρεσβεύω. Apud scriptores Atticos activum *legatum esse,* medium *legatum mittere* significabat. Wackernagel, Vorles. p. 125 Ammonium citat, qui (p. 120 Valck.) idem docet. Et re vera apud Thucydidem, Platonem, Demosthenem, Isocratem id invenimus. Thucyd. I 91; I 67; VI 104 medium vi *legatos mittendi* legitur. Plat. Charmid. 158 A πρεσβεύων ἀφίκετο *legatus venit;* Hipp. mai. 282 B ἀφίκετο... πρεσβεύων; ibid. 281 B πολλάκις μὲν οὖν καὶ εἰς ἄλλας πόλεις ἐπρέσβευσα Leg. III, 698 D πρεσβευομένοις (legatos mittentibus) αὐτοὺς πανταχόσε βοηθεῖν οὐδεὶς ἤθελεν; Demosth. activ. 6,29; 7,20 *(legatum esse);* 8,37; 16,1 (med. *legatos mittere);* Isocr. Panegyr. 177 πρεσβευόντων ταύτην τὴν εἰρήνην *eorum, qui legati erant* = ibid. 149. Verbi genera aetate hellenistica confundi coepta sunt, quod et apud Polybium inveniri potest, ut II 39,4 ἀπὸ τῶν πλείστων μερῶν τῆς Ἑλλάδος πρεσβευόντων *cum legati adessent*; XX 2,1 'Αντιόχου πρεσβεύσαντος πρὸς Βοιωτούς *cum Antiochus legatos misisset.* Dionysius

[1]) cf. Blass, Gramm. d. neutest. Griech. § 309; Winer, Grammatik des neutestam. Sprachidioms [6] p. 225

et Diodorus genera verbi confuderunt. Apud Dionysium solum medium notione *legatos mittendi* legitur, ut III 9,2; III 32,6; IV 49,1; IV 53,2; V 76,2; VI 23,1. Diodorus activo quoque hac notione utitur, ut XII 41,1; XV 68,1; XVI 28,4; XVII 8,5; XVIII 17,7; quamquam et medium legitur, ut XVI 11,4; XVI 49,21; XVIII 17,6. Activum notione *„legatum esse"* apud utrumque occurrit, ut Diod. II 24,6; XI 40,2; XV 81,3; XVI 85,1; XVII 14,2; XVIII 48,3; Dion. III 1,2; XIX 15,3. Dionysius etiam medium hac notione usurpat, ut II 72,4; V 5,2.

Etiam verbum compositum ἐπιπρεσβεύω promiscue a Dionysio usurpatur, ut II 47,3 γυναῖκας ἐπιπρεσβευομένας, *mulieres, quae legationem obierunt*; VI 56,3; αὐτός τε οὐδὲν ἐπιπρεσβεύεται *legatos non mittit*. Quod compositum in lingua Attica non usurpatur, sed a serioribus ponitur, ut Plut. Timol. c. 13; Sull. c. 12.

διαπρεσβεύομαι notione *legatos mittendi* a Dionysio ponitur, ut VIII 4,3; III 23,4; IV 52,2; IX 36,1. Diodorus medium utraque significatione usurpat. *Legatos mittere* significat medium his locis: XII 41,1; XI 1,4; XV 87,4; XVI 3,4; XVII 9,4; XVIII 19,5; legatum esse XIX 79,4.

στρατοπεδεύω *castra facio, pono.* Scriptores Attici hanc vocem med. ponere soliti erant, ut Thucyd. III 107; I 30; VI 88 passim; Isocr. Panath. 92; Xenoph. Anab. II 4,1; Cyrop. IV 2,6. Quamquam negandum non est Xenophontem — ut iam saepe vidimus — ab Atticorum usu abhorrere et nonnullis locis activum exhibere, ut Anab. VII 6,24; Hel. I 2,8. Posteriores activ. utuntur, ut Polyb. I 17,8; Philo V. M. 1; Plut. Camil. c. 33. — Diodorus et Dionysius promiscue activo et medio utuntur, ut Diodorus activo XVII 22,1; XVIII 11,5; XII 47,1; med. II 21,5; XIX 18,1; Dionysius activo V 41,1; VI 4,1; IV 52,1; I 65,3; VIII 88,1; III 56,1; VI 29,2; med. V 41,1; VI 4,3; I 57,3; 91,4; XV 4,3; X 35,1.

Verbum compositum ἀναστρατοπεδεύω *(castra moveo),* quod in Attica prosa non occurrit, Dionysius activo ponere solet, ut III 55,2; V 34,4; VIII 54,5; IX 26,6. Recentiores cum Dionysi usu congruunt: Polyb. I 24,4; III 100,4; 2 Maccab. 3,35; Plut. Mor. p. 770 B.

μεταστρατοπεδεύω *(castra mutare),* quod apud Xenophontem crebrum est et medio usurpatur (Cyrop. III 3,23; Agesil. 1,21), Dionysius promiscue usurpat, ut activo I 57,1 τοῖς Τρωσὶ μεταστρατοπεδεῦσαι κελεύσας; medio IX 6,6 εἰς τὸν ἕτερον χάρακα μετεστρατοπεδεύσαντο (omnes mss. praeter B, qui activ. exhibet); IX 62,5; X 23,3. Recentiores activum usurpant, ut Polyb. III 112,2; XXVII 8,15; Plut. Apophth. Lac. 228 D.

καταστρατοπεδεύω *castra facio* ab utroque promiscue usurpatur. Diodorus activo: II 13,1; III 72,2; IV 16,1; XI 5,4; XVII 55,6; medio XVI 25,2; Dionysius activo III 23,5; IV 51,2; V 14,1; IX 5,4; medio I 53,3; III 4,1; V 14,2; IX 26,6.

XII. Verba, quae ab utroque auctore genere medio ab Atticis scriptoribus activo usurpantur.

διαπέμπομαι *(mittere)* pro activo, quod ab Atticis usurpatur, apud utrumque historicum legimus: Diod. XI 28,3 χρήματα διαπεμπόμενος τοῖς προεστηκόσιν; XIII 42,1 περὶ τούτων διαπεμψαμένων εἰς Ἀθήνας; XIII 47,2 πρὸς Λακεδαιμονίους διεπέμψατο περὶ βοηθείας; XIII 81,2; XVI 13,1 πρὸς τοὺς Συρακοσίους διεπέμπετο περὶ διαλύσεων; XVI 57,2; XVII 64,2 καὶ πρὸς τοὺς ἐν Βάκτροις.. σατράπας καὶ στρατηγοὺς διεπέμπετο, παρακαλῶν; XVII 86,4. XVIII 19,5; XVIII 12,1; XIX 78,4 διεπέμποντο πρὸς Ἀντίγονον ἀξιοῦντες; XIX 103,1; Dionysius III 50,2 διεπέμποντο πρὸς τὰς Λατίνων πόλεις *dimiserunt;* IV 71,3 τὸ δόγμα... διαπεμπώμεθα (διαπέμψωμεν con. Reiske), VII 1,3 πρέσβεις διεπέμπετο. — Xenopho solo activo utitur, ut Cyrop. I 5,3 διαπέμπει πρός τε τούς... Apud Thucydidem et activum et medium occurrit, ut IV 123 πεντακοσίους ὁπλίτας διέπεμψε; IV 53 φρουρὰν διέπεμπον; II 14 ὑποζύγια ἐς τὴν Εὐρώπην διεπέμψαντο. Recentiores medium ponunt, ut Polyb. I 16,5 διεπέμπετο πρὸς τοὺς στρατηγούς. Et activum apud Polybium occurrit, ut XXXV 3,6 ἕτερον στρατηγὸν ἔμελλον διαπέμπειν εἰς τὴν Ἰβηρίαν; Arist. Epist. 6 διεπεμψάμην σοι.

καταπλήσσομαι *percello, terreo, obstupefacio.* Dionysius medium καταπλήσσομαι notione *percellendi, terrendi* usurpat, Diodorus utrumque verbi genus ea vi ponit. Dion. I 82,6 Ἀμύλιος δὲ.. καταπληξάμενος τὸν ἄνθρωπον; VI, 65,1 καταπληξάμενος τὴν ἄνθρωπον; V 75,3 καταπληξάμενος... τοὺς ταρακτικούς; VI 10,3 καταπλήξεσθαι τοὺς πολεμίους; VIII 19,1 καταπλήξασθαι... τοὺς ἔνδον; IX 64,1 καταπληξόμενοι τοὺς ἔνδον; X 4,4 τοὺς δ' ἀπειθεῖς...κατεπλήττοντο passim; Diod. III 59,2 καταπλῆξαι τὰς ἀκοάς; XII 64,3 καταπεπληγμένοι perterriti; XIII 14,3 καταπλήξειν: XI I 55,2 κατεπλήττοντο (pass.); XIV 14,3 καταπλῆξαι; XIV 48,1 κατεπλήττοντο (pass.); passim; I 68,1 καταπληξάμενος... τὰς πόλεις; II 1,8 κατεπλήξατο τοὺς ἐγχωρίους perterruit; II 16,8 καταπλήξεσθαι τοὺς Ἰνδούς; III 54,4 καταπλήξασθαι τοὺς περιοίκους; V 29,2 καταπληττόμενοι τοὺς ἐγχωρίους; XI 2,4 προκαταπλήξεσθαι τοὺς Ἕλληνας; XI 77,2 καταπληξάμενοι τοὺς Αἰγυπτίους; XII 42,7 κατεπλήξαντο τοὺς Λακεδαιμονίους; XIII 55,8; XVI 33,3; passim. Recentiores medium ponere solent, ut Polyb. III 89,1 βουλόμενος...καταπλήξασθαι τοὺς ὑπεναντίους; II 54,12 ταύτην καταπληξαμένων τῶν Μακεδόνων; II 52,1. Etiam Epictetus medium exhibet [1]). — Attici scriptores medium nunquam ponunt, ut Thucyd. II 65 κατέπλησσεν ἐπὶ τὸ φοβεῖσθαι *eos affligebat usque ad metum*; VI 38 καταπλήξαντας τὸ ὑμέτερον πλῆθος; Xenoph. Cyrop. III 1,25 πάντων τῶν δεινῶν ὁ φόβος μάλιστα καταπλήττει τὰς ψυχάς; ibid. I 1,5 ὥστε καταπλῆξαι πάντας; Isocr. Epist. 4,11 καταπεπλῆχθαι; Demosth. 21,194 καταπλήξειν...τὸν δῆμον; 18,175 τοὺς ἐναντιουμένους καταπλῆξαι.

συνόμνυμαι *coniurare.* Apud scriptores Atticos solum activum occurrit, ut Thucyd. I 71; III 64; Demosth. 57,64; 43,7; 43,38. Dionysius et Diodorus promiscue generibus utuntur: Diod. IV 53,5

[1]) cf. Melcher, De sermone Epicteteo, Halis Saxonum 1906, 93

συνομοσάντων δὲ τῶν ἀρίστων; XV 79,5 τοὺς συνομόσαντας; XV 60,5 ὑπό τινων...συνομοσαμένων; Dion. IV 11,3 συνομωμόκασι; V 2,3 συνώμοσαν; V 10,3: XV 3,10 συνομοσάντων; III 26,4 ἐν τοῖς συνομοσαμένοις; IV 11,1 συνομνύμενοι; V 9,1 τῶν συνομοσαμένων; V 13,1. — Posteriores saepe medium ponunt, ut Plut. Alcib. c. 14 med. εἴτ' ἐκείνους μὲν οὐκ ἔπεισε φίλος ὢν Βοιωτοῖς μὴ συνόμνυσθαι; Sert. c. 27 fin. τῶν τῷ Περπέννᾳ συνομοσαμένων; Dio Cass. XXXIX 1 συνεβουλεύσαντό τε ἐπὶ τοῖς Ῥωμαίοις καὶ συνωμόσαντο.

Etiam ἀπόμνυμαι (DM) in Dionysi Ant. Rom. occurrit, sed notione immutata, non ea, quae in Attico sermone exhibetur. Attici scriptores ἀπομνύναι notione *eierandi* usurpant, apud Dionysium AR ἀπόμνυσθαι notione *abdicandi se magistratu* legitur, ut IX 13,4 τὴν ὑπατείαν ἀπωμόσατο. Activum cum Attico usu congruit, ut X 34,2 ἀπομόσαι *eierare*. Atticum usum hi loci illustrent: Thucyd. V 50 ἠξίουν ἀπομόσαι ἐναντίον τῶν Ἑλλήνων ἢ μὴν ἀποδώσειν ὕστερον τὴν καταδίκην; Xenoph. Cyrop. VI 1,2 ὁ Γαδάτας ἀπώμοσεν... ταῦτα γιγνώσκειν; Sympos. 3,8 ὁ δὲ ἀπώμοσε μηδὲ ὀβολὸν (sc. αὐτῷ εἶναι); Demosth. 21,120 πῶς οὐ δεινόν... λέγειν ὡς φονεὺς καὶ πάλιν ὡς οὐκ εἴρηκε ταῦτ' ἀπομνύναι; 29,52 ἂν ἀπομόσῃς τἀναντία τούτων; Plat. Leg. XI, 936 E τοὺς τρεῖς θεούς... ἀπομόσῃς. Recentiores saepe medium vi *deponendi magistratum* acceptum exhibent, ut Plut. Cicer. 23 ἀπομόσασθαι τὴν ἀρχήν; Herodian. IV 2,8 εἰς τὴν ἀρχαίαν ἀγορὰν προτιθέασιν, ἔνθα οἱ Ῥωμαίων ἄρχοντες ἀπόμνυνται.

συντελέομαι *finire, conficere*. Diodorus et Dionysius activum et medium sine discrimine ponunt. Dion. IV 14,3 τοῖς δὲ τὰ... ἱερὰ συντελοῦσι; VII 12,1 τὴν κατὰ τῆς πατρίδος ἐβούλοντο συντελέσασθαι δίκην; Diod. I 33,1 συνετέλεσεν αὐτήν; XI 21,5 συντελεῖν τὴν θυσίαν; I 59,1 πράξιν... συνετελέσατο. Apud Atticos scriptores medium nusquam invenitur. Polybius promiscue genera usurpat, ut IV 81,3 act.; II 39,6 act.; I 9,6 med.; I 70,8 med. Arist. Epis. sola activa exhibet 51; 81; Nov. Test. medium non habet.

ἡττάω vi activa *vincendi* apud scriptores Atticos ne uno quidem loco legitur. In Diodori Bibl. XV 87,3 ἡττηκότες *ei, qui vicerunt*, et XX 30,1 ἥττησεν *vicit* invenitur. Posteriores cum Diodoro congruunt [1]), Polyb. I 75,3 ἥττησε μὲν τὰς ψυχάς; III 18,5 πάντας ἥττησε legimus.

XIII. Verbi genera nonnulorum temporum ab Attico usu differunt his verbis:

Diodorus δειπνήσομαι pro δειπνήσω exhibet XI 9,4 ἐν ᾅδου δειπνησομένους [2]) (Cobet coni. δειπνοποιησομένους).

Diodorus fut. verbi πλέω activum posuit XIII 54,5 παραπλεύσων ἐπὶ Συρακούσας.

---

[1]) cf. Hatzidakis p. 197

[2]) cf. Kühner-Blass I² p. 397 s. v.

In lingua Attica futurum est semper βιώσομαι, aor. ἐβίων [1]). Diodorus XIV 44,4 scripsit aor. συμβιώσασθαι per analogiam, videlicet futuri συμβιώσεσθαι.

ἀπολαύω in Attico sermone semper futurum medii ἀπολαύσομαι exhibet (Xenoph. Cyrop. VII 5,81; Isocr. Antid, 305; Plat. Charm. 172; Phaedr. 234 A). Et Dionysius hunc usum sequitur, ut X 15,4. Diodorus II 55,4 ἀπολαύσειν scripsit.

In lingua Attica futurum verbi ἀπαντάω est ἀπαντήσομαι (cf. Thucyd. VIII 80; IV 77; 8,2; Xenoph. Hell. I 6,3; Demosth. 42,11 60,20). Et Diodorus et Dionysius hanc formam mediam ponere solent, ut Diod. I 81,5 καὶ πολλάκις μὲν τοῖς ἀνθρώποις τῶν αὐτοῖς μελλόντων ἀπαντήσεσθαι κατὰ τὸν βίον προλέγοντες ἐπιτυγχάνουσιν, aut Dion. VIII 28,4 φθόνος ἀπαντήσεται. Sed Diodorus etiam activo usus est XIV 22,2 ὥρμησεν ἀπαντήσων τῷ Κύρῳ. In Novo Testamento sola activa fut. occurrunt [2]), ut Marc. 14,14 ἀπάντήσω. ἀπαντήσω et καταντήσω legitur in Philodemi περὶ σημείων 22,37 (ed. Gomperz); καταντήσειν ibid. περὶ ὀργῆς 41,25.

Participium aor. verbi ἐπιπέτομαι est Dion. XV 1,3 ἐπιπταντος αὐτῷ τοῦ κόρακος. In sermone Attico est aoristus ἐπεπτόμην [3]).

Bis in Dionysi Antiqu. Rom. occurrit κλαύσω fut. verbi κλαίω, quamquam apud Atticos semper medium usurpabatur [4]): IV 70,3 αὐτὴν κλαύσετε; XIX 5,4 πολὺν τὸν μετὰ ταῦτα χρόνον κλαύσετε. Ceteri plurimi loci medium exhibent.

Futurum verbi φθάνω est Dion. IV 85,1 φθάσω: ὡς φθάσων τὴν ἀπόστασιν. Dion. IX 34,3 fut. verbi λανθάνω est λήσεσθαι (Cobet coni. λήσειν). Iam Aristot. Anal. pr. 2,19 p. 66 A λήσεται scripsit [5]). λήσω *latebo* est sermonis antiqui, λήσομαι sequioris. Νομίζουσιν....λήσεσθ' ἂν *fore, ut lateant* legitur Philodem. Περὶ ποιημάτων 17,23. Secundum Herverdeni Lexicon Graecum suppletorium et dialecticum (²1910) locos collegit Charitonides Ποικίλα φιλολογικὰ (Athenis 1904) p. 95, cuius libri inspiciendi non habui potestatem.

Verbi ἐργάζομαι vi passiva apud Atticos scriptores solum part. pf. reperitur, quod etiam Dionysius et Diodorus exhibent: Dion. V 13,3 τὸν ἤδη κατειργασμένον (sc. σῖτον); Diod. I 46,3 τῇ τε δαπάνῃ θαυμαστὸν καὶ τῇ χειρουργίᾳ περιττῶς εἰργασμένον; XIII 27,2 εἰργασμένα *facto;* XV 68,5 διαπραξάμενος ἔργον οὐδὲν τῶν προκατειργασμένων. Etiam infin. pf. pass. sensu passivo occurrit, ut Diod. I 48,2 ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ τοίχῳ τοὺς αἰγιαλώτους ὑπὸ τοῦ βασιλέως

[1]) Cf Kühner-Blass I² p 384 s. v. βιόω
[2]) cf. Blass l. l. § 77; Moulton, Einleitung p. 242
[3]) cf. Kühner-Blass I² § 343 s. v. πέτομαι
[4]) cf. Kühner-Blass I² § 343 s. v.
[5]) cf. Kühner-Blass I² § 343 s. v.

ἀγομένους εἰργάσθαι *in altero muro captivos factos esse.* Mirum Dionysium etiam indicat. praes. sensu passivo exhibere VIII 87,5 οἷς γῆ τ' ἐξεργάζεται καὶ καρποὶ συγκομίζονται. Ed. Mayser, Grammatik der gr. Papyri aus der Ptolemäerzeit p. 385 formam ἐργάζοντος affert. Infin. praes. sensu pas. utitur Procop. III 1,25,14.

Futurum verbi ἀκούω est ἀκούσομαι. Posteriores et activum et medium promiscue usurpabant, quod optime in Novo Testamento observare licet[1]). Negandum non est Dionysium et Diodorum usum Atticum secutos esse, ut Diod. I 94,2; IV 69,4; XVI 81,4; XIX 43,7 passim; Dion. IV 66,3; VI 83,1; X 10,2 passim. Unus locus Dion. est (V 57,1), quo fut. activ. auctor scripsisse videtur: εἶπε...ἥκειν εἰς τὴν ἀγορὰν...ἄγοντας οἷς μάλιστα πιστεύουσι τῶν ἑταίρων, ὡς ἐκεῖ τάξιν τε καὶ χώραν καὶ σύνθημα λῆψομένους καὶ ἃ δεῖ πράττειν ἕκαστους ἀκούσοντας. Quam formam optimi codices exhibent. Kayser in Ann. phil. 1866 p. 46 coniecit ἀκούσαντας. Et apud Diodorum semel XV 10,2 legitur ὑπακούσειν P; ὑπάκουσιν lectio vulgaris omnium codicum praeter P; ὑπακούειν Dindorf. Locus corruptus esse videtur.

Apud recentiores part. praes. verbi φημί est φάμενος, quod et apud Dionysium et Diodorum legitur: Diod. V 69,1 φάμενοι; XIX 1,4 οὐ φαμένης; Dion. XI 30,6 φάμενος.

Interdum activum cum pronomine reflexivo coniunctum vice medii fungitur, si scriptor in obiecto maximam esse vim vult. Hoc in scribendi genere Dionysius et Diodorus cum Atticis scriptoribus congruunt. Dion. IV 44,4 οὐ γὰρ ἂν οὕτως ἀνδραποδωδῶς παρέσχομεν ἑαυτούς; VIII 61,3 παρασχεῖν αὐτὸν ...σκοπός; IX 44,7 χρηστοὺς πολίτας ἑαυτοὺς παρασχεῖν; Diod. XIII 22,5 ἑαυτοὺς θηριώδεις παρασχῶμεν; sed multo crebrius Diodorus in hac constructione medium habet, ut XVIII 28,5 προθύμως ἑαυτοὺς εἰς τὴν στρατείαν παρείχοντο; XIV 19,9 κοινὸν ἑαυτὸν παρεχόμενος; III 61,4 παρεχόμενον ἑαυτὸν ἐπιεικῆ. Dion. I 70,2 δίδωσιν ἑαυτὴν Τυρρηνῷ; III 2,1 ἑαυτὴν ἔδωκεν; VII 58,1 δίδωμι ἐμαυτὸν ὑπόδικον; Diod. II 55,2 αὐτὸς ἔδωκεν ἑαυτὸν ἐπὶ τὴν ἐμπορίαν; XIV 81,2 ἑαυτοὺς δόντες:XVI 5,4 δοὺς ἑαυτὸν εἰς βίον εἰρηνικόν; Dion. VI 61,3 δήμῳ... ὑμᾶς αὐτοὺς παραδώσετε; Diod. XII 41,6 παραδοῦναι σφᾶς αὐτούς; Dion. V 46,4 εἰς μέσους τοὺς πολεμίους ῥίπτων ἑαυτόν; Diod. V 55,7 ῥίψασαν ἑαυτήν; V 39,8 ἑαυτοὺς ῥιπτοῦντες; Dion. VIII 67,4 οἱ δίπτεις δίχα νείμαντες ἑαυτούς; IX 63,4 ἄθροοι δίχα νείμαντες αὐτούς; VI 85,2 διαπτύξαντες αὐτούς; IX 905 ἀπάγειν σφᾶς ἐκέλευον *cupiebant, ut abducerentur;* X 60,4 προσνέμειν ἑαυτοὺς ταῖς ἑταιρίαις *se applicare*; Diod. XVI 55,4 προσνέμοντες ἑαυτοὺς τῷ Φιλίππῳ; Dion. VII 16,1 οἱ πατρίκιοι συστρέψαντες αὐτούς *cum se collegissent*; IX 39,5 οἱ δημοτικοὶ συστρέψαντες αὐτούς; VI 54,1 σφᾶς αὐτοὺς διώλεσαν; III 13,2 ἑαυτὸν ἠξίου τάττειν πρῶτον; Diod. XVI 4,6 συντάξαντες ἑαυτούς; XII 12,2 ἑκουσίως ἑαυτοὺς ἐκ τοῦ ζῆν μεταστῆσαι *vita decedere*; XII 29,4 οἱ πλείους ἑαυτοὺς ἐκ τοῦ ζῆν μετέστησαν;

[1]) cf. Moulton, Einleitung p. 242

IV 55,1 ἐκ τοῦ ζῆν ἑαυτὸν μεταστῆσαι; II 57,5 μεθιστάνειν ἑαυτὸν ἐκ τοῦ ζῆν; IV 59,4 οὗτος εἰώθει τοὺς παριόντας ἀναγκάζειν ἀπονίπτειν ἑαυτὸν πείθῃ; IV 18,5 σκοπεῖν ὡς ἂν ἕκαστος πείθῃ; XI 68,2 ἑτοίμους ἑαυτοὺς ἀπέδειξαν.

Saepe pro medio activum cum dativo pronominis reflexivi coniunctum ponitur, ut Dion. VIII 51,4 ἐλπίδας ἐμαυτῇ καταλιπεῖν; X 13,3 ἑαυτοῖς τροφὰς συγκομίζειν; IV 6,3 τὸ σῶμα...διελόντας; XII 1,1 ἑαυτοῖς προσένεμον; XV 87,3 προσένεμον ἑαυτοῖς; II 13,2 αὐτῇ παραστήσασα; II 6,10 ἑαυτῷ περιθεῖς; I 61,2 αὐτῷ κατεσκεύασε; XIII 42,3 ἑαυτῷ κατεσκεύσεν; XIII 32,6 ἑαυτοῖς καταλείψετε; XVIII 66,1 ἑαυτοῖς πορίζειν.

Haud raro medium dativo pronominis reflexivi confirmatur, ut nexus clarior sit, e. gr. Dion. III 48,2 Λεύκιον... ἑαυτῷ τίθεται τὸ.. ὄνομα; VI 30,3 οἰκεῖον δ' ἑαυτῷ παρεσκευάσατο τὸ δημοτικόν; X 14,1 ἑαυτῷ τυραννίδα κατασκευαζόμενος; Diod. I 59,1 τὴν τοῦ πατρὸς προσηγορίαν ἑαυτῷ περιθέμενος; XVIII 52,3 ἑαυτῷ δυναστείαν κατασκευαζόμενος; XV 79,5 ἑαυτοῖς ἐπορίσαντο ζῆν σωτηρίαν. Tales pleonasmi in sermone hellenistico crebri sunt [1]).

Si animum intenderimus in ea, quae ex comparatione dicendi consuetudinis Diodori et Dionysi, quantum ad usum activi et medii pertineat, cum Attico sermone pedestri evenerunt, ne Dionysius quidem, qui atticista nobilissimus fuit et linguae Atticae ad novam vitam revocandae maximopere studuit, assecutus est, quod cupivit, ut sincera lingua Attica saeculi V et IV a. Chr. scriberet, sed hic illic formae hellenisticae in eius sermonem irrepserunt. Si formas, quibus Dionysius ab Attico usu discrepat, transcribendis libris, ex quibus hausit explanare conaremur, erraremus, quia Dionysius exemplarium scribendi genus saepissime mutare coactus erat hiatus causa, quem severe evitabat [2]). Praeterea observationes in singula verba, quae per omnes saepe libros dispersa sunt, planum faciunt Dionysium sermonem suorum fontium immutasse et novasse.

Longe plurimi ei sunt loci, quibus Dionysius medium pro activo Attico posuit. Quamquam negari non potest Dionysium linguam Atticam penitus nosse, attamen non cavit, quin interdum, ubi Atticus auctor activum posuisset, medium poneret, ut hoc modo sermonem suum linguae Atticae similiorem redderet [3]). Quae alia causa fuit, cur Dionysius ἀναρπάσασθαι, ὀρύττεσθαι, ἐξορύττεσθαι,

---

[1]) cf. Moulton p. 245

[2]) cf. W. Gurlitt, De hiatu in Dionysii Halicarnassensis de Ant. Romlibris obviis, in Philolog. LXXII 1913, 392 sq

[3]) Idem observavit W. Schmid, Der Atticismus IV 616: „Das Bestreben Medialformen als die eleganteren, attischen, zu gebrauchen, ist schon der Literatur — κοινή eigen und sie verfällt in der Bemühung um solche Formen in ähnliche Verfehlungen, wie die Atticisten". Hatzidakis p. 196 accuratissime et copiosissime hac de quaestione disputat.

similia scripserit? Nonnulla media, ut φυλάττεσθαι, κρύπτεσθαι poeticum sermonem redolent. Si quod dixi verum est, nulla est causa, quare ἐναυλοχεῖτο (I 44,1), ἐντρίβεται (VII 45,1), ἐπιτρέφωνται (VI 90,2) corrigentes activum ponamus.

Multo minor est numerus eorum verborum, quae Dionysius activo genere posuit, Attici vero medio ponere soliti erant. Et in hoc exiguo numero non sunt verba, quae valde offendere possint; ἀνακλαίω pro medio facile poni poterat, quia verbum simplex κλαίω active usurpabatur. Et quamquam Dionysius linguam cotidianam sui aevi despectabat, tamen nonnullis locis locutiones κοινῆς in eius opus irrepserunt, ut κλαύσω, φθάσω, ἀκούσειν(?), λήσεσθαι pro λήσειν. In verbis βουλεύω, προβουλεύω, πρεσβεύω, στρατοπεδεύω, καταλαμβάνω genera verbi confudit, quod minus offendit, quam si γαμέω et γαμέομαι confudisset. Semel (VI 13,2) activum posuit, ubi Atticus scriptor activum nullo modo posuisset: ἀπονίψαντες ἀπὸ τῆς λιβάδος *cum se aqua abluissent* (Buecheler con. ἀπονιψάμενοι).

Aliter res se habet cum Diodori sermone. Diodorus multo neglegentior erat in eis, quae ad sermonem pertinent. Quo factum est, ut saepius ab Attico usu in activo et medio genere ponendo discreparet. Multo plures formae hellenisticae in eius Bibl. leguntur, quibus elucet Diodorum et minus cautum et minus peritum fuisse linguae Atticae. Non solum vim verbi γαμεῖν et γαμεῖσθαι, μοιχεύειν et μοιχεύεσθαι confudit, non solum in singulis formis activum pro Attico medio et medium pro Attico activo posuit, ut πλεύσω, ἀπαντήσω, δειπνήσομαι, sed etiam subtiliora discrimina activi et medii, ut inter εὑρίσκω et εὑρίσκομαι, neglegit. Activum verbi ἡττᾶσθαι usurpat, quod apud Dionysium nusquam legitur. Quamquam Diodorus in universum discrimen activi et medii intellegit et exprimit, nihilo minus interdum fit, ut peccet et activum ponat, ubi constanter medium poni solet. Περιτιθέναι et περιτίθεσθαι *induere aliquem,* et *induere sibi* constanter distinguit ut XI 61,1 τὴν ἄλλην κατασκευὴν περιθεὶς Περσικήν *cum eos induisset*; XVI 87,2 τῆς τύχης σοι περιθείσης πρόσωπον Ἀγαμέμνονος; XVII 47,5 περιθεὶς τὴν βασιλικὴν στολὴν *cum eum induisset;* I 62,4 περιτίθεσθαι περὶ τὴν κεφαλὴν λεόντων προτομάς *indui.* At XVI 79,4 στεφάνους ...περιθέντες *coronis induti* scripsit. Neque apud Atticos neque apud Dionysium hic error legitur, quamquam verbum περιτιθέναι creberrimum est.

Diodorus verbi προσποιέομαι, quod apud Atticos deponens medii est[1]), aoristum passivi semel formavit I 94,1 προσποιηθῆναι, quamquam aliis locis aoristum medium exhibet, ut I 94,2 προσποιήσασθαι. Posteriores saepe aoristo passivi utuntur[2]), ut Polyb. V 25,7;

---

[1]) cf. Thucyd. I 54; II 33; Plat. Polit. 281 C; Pol. IX 577 B; Charm. 155 B; Isocr. Paneg. 3; Xenoph. Hell. IV 8,28.

[2]) cf. Brugmann-Thumb Griech. Gramm. § 531; Hatzidakis, Einl. 193; Mayser, Gramm. d. gr. Papyri 379; Helbing, LXX Grammatik 97

Philodem. Vol. rhetor. (ed. Sudhaus) I 64,26. Dionysius autem verbi ἀπαρνέομαι, quod deponens passivi est[1]), aoristum medii posuit VIII 7,1 τὴν ἀπαρνησαμένην. In Nov. Test. aorist. med. occurrit, ut Math. 16,24; Marc. 8,34; Luc. 9,23; Philodem. Περὶ ποιημάτων 15,5. Uterque auctor in usu verbi ἀρκεῖν congruit, quod in lingua hellenistica vi et notione mutata genere passivo usurpari coeptum est[2]). Diod. I 8,10 ἀρκεσθησόμεθα τοῖς εἰρημένοις, quae locutio permultis Bibl. locis legitur; XI 61,1 οὐκ ἀρκεσθεὶς νίκῃ; XIII 43,6 οὐκ ἀρκουμένους τῇ παραχωρήσει, passim. Dion. VII 54,1 ἀρκεσθεὶς αὐτῷ τῷ κεκρατηκέναι; XI 1,3 ἀρκοῦνται *contenti sunt*.

Diodorus interdum normas Attici sermonis stricte observat, ut cum omnibus locis, qui profecto sunt multi, τρόπαιον ἱστάναι non ἵστασθαι scribit: XI 61,7; XII 79,7; XVIII 11,5; XVIII 32,2; XX 39,4; XX 46,2[3]). Attici scriptores omnes activum ponebant (Thucyd. I 30; II 22; Isocr. Paneg. 87; 150; Euag. 57; Demosth. 3,24; 13,26; 12,4; 20,120; 23,143; Plat. Hipparch. 228 D; Menex. 240 D). Solus Xenophon, qui saepe ab Attico sermone abhorret, nonnullis locis medium exhibet, ut Hell. II 4,7 τρόπαιον στησάμενοι; Ages. 2,5 ὁ Ἀγησίλαος τρόπαιόν τ' ἐστήσατο.

In Attica lingua saepe nonnullorum verborum activum et medium sine discrimine fere usurpata esse multi loci declarant. In quorum verborum numero sunt σέβω et σέβομαι, ἱδρύω et ἱδρύομαι; διοικέω et διοικέομαι, ἀριθμέω et ἀριθμέομαι. Dionysius utroque genere utitur: σέβω II 19,3; III 36,2; VIII 35,2 passim; σέβομαι VIII 48,2 passim. ἱδρύω I 85,6; VI 94,3; ἱδρύομαι I 32,3; VI 80,1 passim. διοικέω VII 2,5 passim; διοικέομαι I 63,1; VII 56,2 passim. ἀριθμέω XIV 11,3; ἀριθμέομαι XIX 9,3. Diodorus autem in aliis verbis solum activum in aliis solum medium usurpat, ut σέβομαι semper (I 22,10; II 59,2; IV 56,4 passim), nullo loco σέβω. Arist. Epist. sola media exhibet: 16, 134, 139, 140. Tebtunis Pap. I 59 laudata a Witkowski Epist. privat.[2] 61 v. 11 (a. 99 a. Chr. n.) exhibet σέβεσθαι: ἱδρύεσθαι nusquam occurrit apud Diodorum, at ἱδρύειν I 15,2: III 42,1; V 46,3; XIV 77,5; XVII 10,5 passim. Διοικέομαι nullo loco praeter XV 67,4; διοικέω I 11,5; XIV 3,5; XV 92,3; XVII 49,1 passim. Arist. Epist. activum reperitur 28, 201, 234, 254. Flinders Petri Pap. II 16,54 laudata a Witkowski Epist. privat.[2] 4 v. 14 (saec. a. Chr. n. III) legitur διοικεῖν; v. 8 διῴκηται vi passiva. Diodorus ἀριθμέομαι non usurpat, sed ἀριθμέω I 31,7; III 62,5; XIV 105,3; XIX 3,1 passim.

---

[1]) cf. Thucyd. VI 56; Plat. Phaedr. 256 A; Sophist. 217 C.

[2]) cf. Blass l. l. § 101. Ps.-Plat. Axioch 369 E μόνοις δὲ ἀρκεῖται τοῖς δυναμένοις καθικέσθαι τῆς ψυχῆς; Aristot. Eth. Nic. II 7 med. νῦν τύπῳ λέγομεν, ἀρκούμενοι αὐτῷ τούτῳ; Polyb. I 20,1 οὐδ' ἠρκοῦντο σεσωκέναι τοὺς Μαμερτίνους *non erant contenti servasse;* XIII 2,4; Nov. Test. 1 Timoth. 6,8.

[3]) cf. Meisterhans [3]1912 § 77,7

Inter omnes constat Dionysium atticistam quem dicunt fuisse [1]), Diodorum autem lingua κοινῆς scripsisse [2]). Si ex usu activi et medii apud utrumque auctorem iudicium ferre coacti essemus, paulo aliter iudicaremus: Dionysius linguam Atticam secutus et Diodorus lingua hellenistica scribens non omni ex parte inter se differunt. Quamquam ille linguam Atticam ad novam vitam omnibus viribus revocare conatur, hic neglegens esse dicitur: multa vero communia secum habent, neque tam toto scribendi genere, quam multitudine „errorum" inter se differunt.

---

[1]) E. Schwarz, in: Pauly-Wissowa R. E. s. v. Dionys v. Halicarnassos scribit: „D. will im Grunde in seinem Geschichtswerke ein παράδειγμα des Classizismus liefern".

[2]) E. Schwarz l. l. s. v. Diodorus scribit: „...so kennt der Provinziale .. den Classizismus noch nicht, er schreibt das hellenistische Griechisch, das er in seiner Jugend gelernt hat und befolgt bei der Auswahl und Benutzung seiner Gewährsmänner keine puristischen Rücksichten".

I. INDEX CAPITUM.

pag.

I. Verba a Diodoro genere activo, a scriptoribus Atticis medio posita . . . . . 136—138
II. Verba a Diodoro vi intransitiva, ab Atticis scriptoribus transitiva usurpata . . . . . 138—140
III. Verbi genera in quibus verbis a Diodoro confusa . . . . . 140—141
IV. Verba a Diodoro genere medio, ab Atticis scriptoribus activo posita . . . . . 141—143
V. Verba in Diodori Bibliotheca primum lecta . . . . . 143—144
VI. Verba a Dionysio genere activo, a scriptoribus Atticis medio posita . . . . . 144—147
VII. Verba a Dionysio medio genere posita, in Attica autem lingua activo usurpata . . . . . 147—150
VIII. Verba quae intellectu mutato genus quoque mutaverunt . . . 150—151
IX. Verba quae ab utroque auctore activo genere, ab Atticis vero scriptoribus medio ponuntur . . . . . 151—152
X. Verba quae vi intransitiva pro transitiva usurpantur . . . . . 152—153
XI. Verbi genera ab utroque auctore confusa in quibus verbis . . 154—155
XII. Verba quae ab utroque auctore genere medio, ab Atticis scriptoribus activo usurpantur . . . . . 156—157
XIII. Verbi genera nonnullorum temporum ab Attico usu quibus in verbis differant . . . . . 157—159

II. INDEX VERBORUM.

	pag.
ἀγριαίνω	151
ἀκούω	159
ἀκρωτηριάζω	136
ἀνακλαίω	144
ἀναρπάζομαι	149
ἀναστρατοπεδεύω	155
ἀνατείνω	138
ἀπάγομαι	147
ἀπαντάω	158
ἀπαρνέομαι	162
ἀπεικάμην	148
ἀπολαύω	158
ἀπολιχμάω	145
ἀπομειλίσσομαι	149
ἀπόμνομαι	157
ἀπονίπτω	161
ἀριθμέω	162
ἀρκέω	162
βιόω	158
βουλεύω	146
γαμέω	140
δειπνέω	157
διαβεβαιόω	137
διαλλάττω	152
διαπέμπομαι	156
διαπρεσβεύομαι	155
διασημαίνω	141
διαχειρίζομαι	150
διοικέω	162
διορθόω	136
ἐγγράφομαι	150
ἐγκελεύομαι	148
εἰσθίομαι	142
ἐκτίθεμαι	142
ἐνδείω	153
ἐντρίβομαι	150
ἐξαίρω	140
ἐξορύττομαι	148
ἐπανατείνομαι	138
ἐπικελεύομαι	148
ἐπινοέω	141
ἐπιπίτομαι	158
ἐπιπρεσβεύω	155
ἐπισημαίνω	146
ἐπιτείνω	138
ἐπιτίθεμαι	149
ἐπιτρέπομαι	149
ἐργάζομαι	158
εὐπορέω	141
εὑρίσκω	136
ἡττάω	157
ἱδρόω	162
ἵστημι	162
καταλαμβάνω	154
καταλείπω	139
καταπαύω	137
καταπλήσσομαι	156
καταστρατοπεδεύω	155
καταψηφίζω	145
κλαίω	158
κρύπτομαι	149
λανθάνω	158
λυτρόομαι	143
μετακαλέομαι	142
μεταλλάττω	139
μεταστρατοπεδεύω	155
μνηστεύομαι	143
μοιχεύω	140
ναυλοχέομαι	150
ὀρνιθεύομαι	150
ὀρύττομαι	148
παρακόπτω	139
παρασπάω	145
παρατείνω	138
παρεκτείνω	139
πειράζω	151
πειράω	151
περιβλέπομαι	142
περικαλύω	137
περιτίθημι	161
πλέω	157
ποιέω	151
πολίζομαι	148
πρεσβεύω	154
προβουλεύω	147
προσποιέομαι	161
σῖβω	162
στρατοπεδεύω	155
στρέφω	145
συγγράφομαι	143
συγκαθίημι	152
συμφράττω	139
συνάπτω	153
συνεπάμην	147
συνόμνυμαι	156
συντελέομαι	157
τεχνάζομαι	144
τημελέομαι	150
ὑποπτεύομαι	144
φημί	159
φθάνω	158
φυλάττομαι	149
χειρόω	137
ψηφίζω	145

RECENZJE

Bérard Leon, O reformę klasyczną szkolnictwa średniego *(Pour la réforme classique de l'enseignement secondaire)*. in—8°, Paryż, A. Colin; 334 str.

Były minister oświaty w gabinecie Poincaré'go zebrał w tej książce wszystko co dotyczy klasycznej reformy szkolnictwa średniego we Francji, wprowadzonej w życie dekretem z d. 3 maja 1923. Przed tym dekretem, organizacja szkół średnich opierała się na programie z r. 1902. W czterech klasach początkowych, równouprawnione były dwa cykle nauk: cykl klasyczny z łaciną obowiązkową a greką według woli i nowożytny z językami nowożytnemi i naukami ścisłemi; w trzech klasach wyższych, istniały cztery sekcje: sekcja A (łacina — greka), B (łacina — języki nowożytne), C (łacina — nauki ścisłe), D (nauki ścisłe — języki nowożytne). Reforma p. Bérard'a obaliła w sposób stanowczy tę dawną organizację, której błędy i braki były aż nadto dla wszystkich widoczne. Według programu z r. 1923, łacina i greka stały się w czterech klasach początkowych obowiązkowym przedmiotem nauki dla wszystkich uczniów, łacina przez lat cztery, greka przez dwa. Dopiero w klasach wyższych przysługuje uczniom prawo wyboru między nauczaniem klasycznem a nowożytnem, przyczem pisemny egzamin z łaciny i greki jest dla wszystkich uczniów koniecznym warunkiem dopuszczenia do egzaminu dojrzałości. — Obecnie, reforma p. Bérard'a została z kolei zmieniona przez dekret z sierpnia 1924, którym, na razie do dwu klas początkowych, wprowadzono, równolegle z sekcją klasyczną A, sekcję nowożytną B. W sekcji tej, program nauk z r. 1923 jest utrzymany, lecz godziny łaciny są w niej rozdzielone między język francuski, języki nowożytne i historję naturalną. — Takie są, krótko ujęte, dzieje reformy z r. 1923, do których w książce p. Bérard'a znajdujemy wiele cennych źródeł i dokumentów.

Znaczenie książki p. Bérard'a polega dziś głównie na tem, że podaje ona zebrane razem wszystkie te argumenty za nauczeniem języków klasycznych, które podniesione były w r. 1923, w pamiętnej dyskusji na posiedzeniach Rady wykształcenia publicznego i posiedzeniach Izby posłów. Argumenty te posiadają ogólniejsze znaczenie i trwałą wartość. Walka z obozem „pseudowykształconych" o naukę języków starożytnych w szkole toczy się dziś nietylko we Francji ale wszędzie, i wszędzie „przeciwreforma" organizuje się i wysila, by uszczuplić dziedzinę nauk prawdziwie ludzkich, złamać i ujarzmić wolnego ducha humanizmu. U nas, nie jest pod tym względem lepiej niż gdzieindziej. Dlatego argumenty, które zdołały we Francji zaważyć na szali i zapewnić programowi klasycznemu chwilowe zwycięstwo, nie będą i dla nas pozbawione interesu. Oto z nich najważniejsze.

Gdy istotnym celem wykształcenia gimnazjalnego jest wyrobienie sądu i wykształcenie wrażliwości duchowego dostrzegania, naukami, które okazały się najskuteczniejszym narzędziem dobrego ukształcenia umysłu, są nauki humanistyczne. Należy zatem te właśnie nauki nałożyć młodzieży, nie dlatego

jakoby one były najłatwiejsze lub najmilsze, ale dlatego, że doświadczenie nauczyło, iż są najlepsze. Gdy się rzecz zostawi wyborowi samych uczniów względnie ich rodziców, wybór kierowany jest myślą, by pójść w kierunku, który jest najłatwiejszy i najwygodniejszy.

Z naukami humanistycznemi wiąże się tradycja kultury francuskiej. Świat nowożytny wszystkiemi swemi korzeniami tkwi w starożytności grecko-rzymskiej. Ona kształtowała wielkie epoki historji nowożytnej: Średnie Wieki przez pisma Arystotelesa i dzieła prawników, Odrodzenie przez odkrycie piękności pogańskiej, Rewolucję francuską przez idee republikańskie. Wyrzec się takiego dziedzictwa znaczyłoby wyrzec się najlepszej części nas samych, zapomnieć o źródłach naszej kultury.

Gdyby się ustanowiło równość praw między maturą klasyczną a nowożytną i gdyby się nie dało studjom klasycznym rodzaju premji społecznej, to jest rzeczą widoczną, żeby one zanikły wobec studjów łatwiejszych, tak samo jak w zakresie obiegu monetarnego zła moneta wypędza dobrą.

Istnieją pewne przesądy, których się nadużywa. Takim przesądem jest posądzenie pisarzy łacińskich i greckich o reakcyjność. W rzeczywistości, są to jedyni wielcy pisarze klasyczni, z których możemy wydostać całą antologję republikańskiego ducha obywatelskiego, podczas gdy nie można tego samego uczynić w odniesieniu do pisarzy francuskich, nie wyłączając pisarzy XIX wieku. Głosić, że łacina jest nauką antydemokratyczną, geometrja nauką republikańską, a greka arystokratyczną, znaczy wprowadzać w błąd nieuków i łatwowiernych,

Studjum starożytności nie powinno być zachowane tylko dla umysłów bardziej wybrednych, dla jednostek uprzywilejowanych. Przeciwnie, zadaniem demokracji winno być staranie o rozszerzenie zastępów tej elity umysłowej. Demokracja nie powinna obniżać ogólnego poziomu społeczeństwa; ona powinna podnieść jak najszersze koła, doprowadzając je do poznania tego, co dawniej było zastrzeżone tylko dla elity.

Podnoszą jako zarzut przeciw nauce języków starożytnych zapytanie, co później z tej nauki pozostaje. Na pytanie to, bardzo już dawno, Saint-Marc Girardin odpowiedział głębokiem zdaniem: Nie żądam od człowieka prawdziwie wykształconego (franc. *honnête homme*), by znał łacinę, wystarczy mi to, że ją zapomniał.

Inni przeciwnicy języków starożytnych podnoszą, że istnieją pisarze francuscy, którzy nie uczyli się łaciny. Można im odpowiedzieć porównaniem następującem: tworzyć w języku francuskim bez znajomości łaciny to jest coś podobnego jak zakładać druty elektryczne bez znajomości fizycznych praw elektryczności. Nie szkodzi, gdy elektrotechnik inteligentny zapozna się z prawami Ampère'a i Faraday'a.

Istnieje przeciw naukom klasycznym argument cytowany przez tych, którzy chcą stosować do literatur, języków, dzieł sztuki i faktów z historji ewolucyjną teorję Darwina. Jest to argument ewolucji. Przedstawicielem tego kierunku we Francji jest dziekan Sorbony, p. Brunot, według którego języki nowożytne, jedne po drugich, tak samo jak literatura, sztuka, nauki i wogóle myśl ludów, wyzwalają się z tradycji łacińskiej. Iść przeciw temu prądowi znaczy podejmować walkę z pochodem sił przyrodzonych.

